

05

A

253



עמי עשו

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE

LIBRIS

SCRIPTURÆ
APOCRYPHIS,

Quam

SUB PRÆSIDIO

MAXIME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLISSIMI NEC NON
EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS ^{WITTE}Deutschmann /
S.S. Theologiæ Doctoris ejusdemque in ce-

leberrima hâc Universitate Professoris Publici insigniter meriti,
Alumnorum Electoralium Ephori gravissimi ut & Vene-
randi Collegii Theol. p.t. Decani Spectatissimi

DOMINI, PATRONI & PRÆCEPTORIS Sui omnigeno cultu &
obsequio ætatem devenerandi

Publico Eruditorum Examine subicit

M. SAMUEL ^{WITTE}Sange / Fürsteberg. Lusat.

A. R. S. clō Iōc LXXXII. d. Martii

Horis matutinis in Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,
TYPIS AUGUSTI BRÜNINGII.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

L. I. B. R. I. S.

SCRIPTURAE

APOCRYPHIS

Quam

SUB PRÆSIDIO

MAXIME REVERENDI, MAGNIFICI AMPLISSIMI VICE VON

EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS

S. S. Theologiae Doctoris et

Publici Professoris in ce-

lumburgiensi Academia

Publici Professoris in ce-

lumburgiensi Academia

Publici Professoris in ce-

lumburgiensi Academia

M. SAMUEL BRUNNIG

A. R. S. S. L. L. LXXII. d. Martii

1732

WITTEBERGAE

Typis AUGUSTI BRUNNIGII

552 A 50





الله الرحمن الرحيم

Προθύμελον.

Vere quod de suis Apostolis

pronunciat Corinthiis, in omnes quadrat, sed enter non
 apparet Christianos: Θεὸς οἰκοδομὴ ἐστὶ. 1. Cor. III. v. 10.
 Omnes enim cum Ephesius sunt οἰκεῖοι ἔθ Θεὸς ἐποικοδομη-
 θέντες ἢ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν Eph. II. v. 20. At
 quale hoc θεμελίον? Non arenosum, quod & tentationum imbres, &
 persecutionum ventos, & hæreseων procellas, sat diu nequit sustinere;
 sed petrosum, quale substernere fas est. Ἀνδρὶ φρονίμῳ Matth. VII. v. 24.
 Et ad tale provocat Paulus in 1. Cor. III. v. 10. ὡς σοφὸς ἀρχιτεκτὼν θεμέ-
 λιον τέθεικα. At quod illud tandem? Christus. θεμελίον ᾧ ἀπὸν,
 inquit idem in epist. cit. l. c. ἔδειξ δὲ δύναται θεῖναι ὡς ἄρ' ἔκειμενον, ὅς ἐστι
 ἰησοῦς χριστός. Hic Lapis est, quem reprobarunt edificantes, & cœpit
 esse caput anguli Matth. XXII. v. 42. Ps. CXVIII, 22. Vt verò tota Chri-
 stianismi nostri structura, ita Fides cum primis, Forma illius & Anima,
 firmum hoc, idq̄, solum respicit θεμελίον. Id quod innuit Petrus Esaiæ
 28. v. 16. ad Christum in 1. epist. II. v. 6. applicando: Ecce pono in Sion La-
 pidem, in summo ponendum angulo, qui crediderit in illo, non pudebit.
 Præter tamen hoc reale, datur & doctrinale Fidei θεμελίον, Oracula
 sc. Prophetica & Apostolica, quæ non minus firma, & durissima ad instar
 petræ solida. Hinc ipse Salvator testimonium Petri petram vocat,
 super quam suam sit extructurus Ecclesiam Matth. XVI. v. 18. additque,
 Portas inferorum adversus illam non esse prevalituras. Sunt itaq̄ &
 V. & N. T. scripta θεόπνευστα. unicum illud, quibus fidem nostram super-
 struimus fundamentum. Ad hoc ipse nos mandativè remittit Salvator
 Job. V. v. 39: Εἰρευνᾶτε τὰς γεγραμὰς [τῶ εἰρευνᾶτε non in Indicativo, sed
 Imperativo posita, quod genuine satis Syrus affectus est Interpres, ver-
 tens] ut innueret, nostro non in arbitrio possum, sed
 quæm



quàm maxime necessitatis esse investigare, indagare, & perscrutari
 Scripturas, annexa ratione duplici: ἐν ὕμεις δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰω-
 νίον ἔχειν, καὶ ἐκείναι εἰσι, αἱ μαρτυροῦντες ἐν ἑμῖς, Fidei itaq̃, & Vitæ
 mensura Sacra est Scriptura. Ad hanc remittuntur epulonis fratres
 Luc. XVI. v. 29. & omnes omnino homines. Nec immeritò. Est enim
 κανὼν, & exactissima Divinae Veritatis Regula, ad quam & Fidei dog-
 mata, & vitæ examinanda περὶ γράμματα. Idq̃ non tantum Scriptura
 Mosaico-Prophetica, sed & Evangelist-Apostolica. Hinc Paulus Gal.
 VI. v. 16. Quotquot secundum Canonem hunc incedent, pax super illos
 & misericordia. Loquitur verò, ut è contextu liquet, de Evangelio &
 Doctrina de Christo, quam & in sua ad Philipp. epistola c. 3. v. 16. eodem
 salutis nomine, auditoribusq̃, suis præcipit, τῷ αὐτῷ σοιχεῖν κανόνι ap-
 pellatione dubio procul desumpta è Ps. XIX. v. 5. In omnem terram
 exivit ἡ Regula, Canon, Linea, Amusis eorum, & in fines orbis
 terrarum verba eorum. Sed quorum? Apostolorum. Hi enim sunt
 ad quos idem accommodat dictum Gentium Doctor Rom. X. v. 18. Εἰς πᾶ-
 σαν τὴν γῆν ἐξήλθεν ὁ λόγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρας τῆς οἰκουμένης τὰ
 ῥήματα αὐτῶν. En tibi Canonicam utriusq̃ Scripturae Authoritatem!
 Sicut autem in Ecclesia degunt, quàm plurimi, qui tamen non sunt de
 Ecclesia; Perilem in modum libri sunt certi in Scriptura, qui tamen non
 sunt de Scriptura; Apocryphi videlicet, qui parem cum libris Canonicis
 Authoritatem non habent, unde nec ad probanda, nec dijudicanda Fidei
 dogmata roboris, aut valoris quid possident. Et hi argumentum erunt
 Disputationis præsentis. Sit itaq̃ I. N. D.

SECTIO I.

DE

APOCRYPHIS IN GENERE.

§. I.

Ἐγγραφον est Ἀποκρύφον vocabulum & legitur Col. II. v. 3. Ἐν ᾧ εἰσὶ
 πάντες οἱ θεσμοὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀποκρυφοί & Marc. IX.
 v. 22. καὶ ἐγένετο ἀποκρυφον, ἀλλ' ἵνα εἰς φανερόν ἐλθῆ. pariter Luc. VIII.
 17. 8. ἀποκρυφον, ὃ ἔγνωθήσεται. Hanc ob causam, prius ad περὶ γράμ-
 μα-
 τὰ

πλθ

πλογίαν quàm nos accingamus, paucula saltem de vocolæ hujus
edisseremus Ὀνομαπλογία.

§. II. Ἐτυμολογίαν igitur quod attinet primò, vox Ἀποκρύφου
suos Verbo ἀποκρύπτειν debet natales, quod idem ac abscondere no-
tat, & occultare. Hinc Matth. XI. v. 25. dicitur: ὅτι ἀπέκρυψας
πάντα, Quod si hæc occultaveris. Exinde descendit Ἀπέκρυφτος,
quod nonnisi absconditū notat. Dicti q; sunt ita libri Apocryphi V. T.
quod in demonstrandis & dijudicandis Articulis Fidei abscondendi
sint & occultandi, juxta illud Hieronymi: *Illorum Authoritas ad ro-
boranda illa, quæ in contentionem veniunt minus idonea judicatur.* De
Articulis enim Fidei judicandum non est humanis ex scriptis, qualia
sunt Apocrypha illa volumina, sed ex libris divinis, qui soli Canon
vitæq; & Fidei nostræ sunt regula. Verbo: Dicuntur Ἀπέκρυφτοι ab
obscuratone & occultatione, eò quod apud Antiquos illorum Au-
thoritas obscura fuit & dubia. Hinc Augustinus lib. 15. de Civ.
Dei c. 23. de illis dicit, *Quod occulta eorundem origo non claruerit il-
lis, quorum testificatione Authoritas verarum Scripturarum ad nos per-
venit.* Et lib. 11. contra Faustum c. 2. scribit, eos dici Apocryphos,
*non quod habendi in aliqua Authoritate secreta, sed ab occulta origine,
quæ non inclaruit eò, ut in sublimi illo Canonice Authoritatis fastigio
collocari meruissent.*

§. III. Ὀμωνυμίαν quod spectat, sciendum, Patres vocabulo
Ἀποκρύφου non unimodè usos esse. Igitur Patrum Primitivæ Ec-
clesiæ πρῶτοι ex illis est, quæ πωλαχῶς λέγονται notatq; (1) *Men-
daces, falsos, & erroneos, adeoq; omnimodè abscondendos libros.* (2) *Li-
bros occultæ originis, de quibus, quod verè Canonici sint, certa & in-
dubitata adferri non possunt testimonia.* (3) *Libros Authoris igno-
ri.* Sed cum priorè posterior acceptio, curæ non est nobis. Et
*ultima, inquit Dominus Doctor WALTHERUS in Officin: Bibl:
Reposit: Post: Class: 2. Th: pr: generali, si militaret, sequeretur, mul-
tos libros V. T. dici posse Apocryphos, qui sunt exploratò Canonici & Au-
thoris incerti.* Breviter ergo Ἀπέκρυφτον vel est τὸ λεγέσθαι, vel τὸ
τὸ εἶναι. Priori modò quidam N. T. libri habentur pro Apocry-
phis, quales tamen verè non sunt. Nullus enim in tota Scriptura
N. Instrumenti Apocryphus secundum esse deprehenditur liber,
quia de secundario saltem, non primario Auctore à quibusdam,
non omnibus, aliquando, non semper, in Ecclesia Dei fuit dubita-
tum, ipsis in se nihilominus verè divinam Authoritatem obtinen-
tibus,

tibus, de natura & proprietatibus librorum Canonicoꝝ partici-
pantibus, quoadq; Doctrinam omnimodè perfectis. Posteriori
respectu Apocryphum itidem sumptitur dupliciter, Ἐιδιμῶς &
Ἐξοχικῶς. Illò nomine dubii V. T., Hòc omnimodè falsi, & fabu-
losi libri dicendi sunt Apocryphi.

§. IV. Συνομιλίαν denique quod concernit, Scripta, quæ Hie-
ronymo audiunt Apocrypha, ab Eusebio aliisque vocantur *Hagio-*
grapha & Ecclesiastica, ab aliis laxò nomine *Divina*, & Augustino
lib. 2. de Doctrina Christiana c. 8. *Canonica &c.*

§. V. Tantùm de Onomatologia. Sequitur jam Pragma-
tologia sistens primò *Definitionem* librorum Apocryphorum, circa
quam doctissimè notat Magnific: Dominus D. PRÆSES, Præce-
ptor & Patronus meus ætatem devenerandus in Comp. Hutt. L. 1.

§. 5. *Definitionem* quod attinet, ea vel accipitur παχυλῶς & ὡς ἐν πλά-
τῃ quoad Verborum sonum, quò respectu generalis & ad nonnullos N. T.
libros pertinere videtur, ut observat Dn. D. Cundis. h. l. vel ἀκριβῶς, &
ἐν ἰδιῶ φῶσιν, quoad accuratum verborum sensum, & ita solis Apocryphis
propriè dictis competit. Hanc nos sequentes facem Definitionem
Apocryphorum in genere sistimus talem: *Apocryphi sunt libri Scri-*
pturæ de quorum vel Authoribus tantùm vel Authoribus & Autoritate
simul dubitatum fuit olim & adhuc dubitatur. In specie verò defini-
mus Apocryphos Libros in Scriptura, quorum ignota & origo & ca-
nonica Majestas. Ignotam dicimus (α) *Originem*, tum (1) *ratione*
causæ Efficientis, ejusq; & Principalis; Non enim luce gaudent di-
vina, vel inspiratione Spiritus S. ut Paulinum in illos non cadat
effatum: πᾶσα γὰρ ἡ θεόπνευστος & 2. Tim. 3. Illorum quippe Autho-
res non scripserunt φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἀγίου. 2. Pet. 1. &
Ministerialis; Non enim per illustres Dei viros, Prophetas, vel A-
postolos conscripti sunt. Et *Instrumentalis*, quia neutiquam per Ver-
bum Dei, quod est lumen & lucerna Ps. 119. v. 105. neque per man-
datum aut impulsu divinum, ceu lucem veram atque publicam
consignati sunt; Tum (2) *ratione Causæ materialis* quia non tam de-
summis cœlestis veritatis mysteriis, quàm de aliis vel obscuris hi-
storiis, vel occultis aliis objectis tractationem instituunt; Tum
(3) *ratione Causæ Formalis;* Non enim gaudent lumine sensus di-
vini, nec illuminatione Spiritus S. nec autoritate Divina, nec ac-
curata cum Scriptura Canonica harmonia; Tum (4) *ratione Cau-*
sæ

ſe Finalis. Quia non ſunt manifeſta atq; publica Fidei Chriſtianæ Regula, neq; fideles vel ad Chriſtum, vel vitam æternam deducunt. Ignoram [β] dicimus *Majeſtatem* ex carentia illuſtris tum *perfectio- nis*, tum *perſpicuitatis*, tum *certitudinis*, quam ob cauſam nec primi- tiva Eccleſia, quæ teſtimonium de Scripturis edidit Canonicis ean- dem percipere potuit, nec moderna talem deprehendere valet. Un- de & Hæc dictos Apocryphos in Canonem recipere nec vult nec poteſt, nec debet. Conf. pluribus Magnific. Dn̄o D. PRÆSES cit. l. §. 5. & 6.

§. VI. Qualis verò jam Definitio, talis etiam Apocrypho- rum eſt *Diviſio*. Erunt itaq; juxta Definitionem primitus datam Apocryphi vel *κατὰ πινός* vel *κατὰ πάντος*. Κατὰ πινός Apocryphi erunt, quorum non tam Canonica Majeſtas & Authoritas, quam potius amanuenſium certitudo & veritas olim fuit dubia. Horum è nu- mero [1] eſt *Epistoſa ad Hebraeos*, quæ de Eusebius lib. 3. c. 3. hæc refert: *Non eſt ignorandum, quod quidam in Romana Eccleſia Epistoſam ad He- braeos reprobârunt, aſſerentes contradici, quaſi non ſit Pauli.* [2] *Epistoſa Jacobi*, de cujus Authore Hieronymus dubitat in *Catalogo Scri- pto*: *Epistoſa Jacobi ab alio quòdam ſub ejus nomine edita aſſeritur.* [3] *Posterior Epistoſa Petri*. De hæc Eusebius lib. 3. c. 3. *Eam, quæ cir- cumfertur altera Petri epistoſa à plerisq; Petri eſſe negatur propter ſtyl- cum priore diſſonantiam.* [4] *Secunda & Tertia Johannis Epistoſa*. Has enim ſub dubitationis revocatas refert aliam Eusebius lib. 3. c. 25. *Reliquis, inquit, Epistoſis Johannis contradicitur. & rationem addit: Quia dubitatum fuit, utrum eſſent Johannis Evangelistæ, an ve- rò alterius cujuſpiam ejusdem cum illo nominis.* [5] *Epistoſa Jude*, cujus pariter Authoritas à non paucis revocata eſt in dubium. Vide Euse- bium lib. 2. c. 23. & lib. 3. c. 22. Erasmus in annot. p. 541. [6] *Apoc- alypſis Johannis*, quæ de Eusebius lib. 3. c. 24. ita diſſerit: *De Apocaly- pſi etiamnum apud multos diſpar eſt opinio, probantibus illam aliis, alios vero reprobantibus.* Quam vero ob cauſam dubitarint Patres non incommode quaeritur? Reſponder Beatus Dn̄. D. Chemnitius in Exam. Concil. Trident. part. 1. in L. de Script. Canon. edit. in fol. f. 51. tribus rationibus [α] *Quia V eteres non invenerunt ſatis certa, fir- ma, & conſistentia teſtimonia de teſtificatione primæ Apoſtolicæ Ec- cleſiæ, quod libri illi eſſent ab Apoſtolis comprobati, & Eccleſiæ commen- dati.* [β] *Quia non certò ex teſtificatione primæ & veteris Eccleſiæ conſi-*

constitit, an ab illis, sub quorum nomine editi sunt, libri illi conscripti essent, sed iudicati fuerunt ab aliis sub nomine Apostolorum editi. [γ] Cum quidam ex vetustissimis aliquos ex illis libris tribuerent Apostolis, quidam verò contradicerent, Res illa sicut non erat indubitata certa, relicta fuit in dubio.

§. VII. Κατὰ πέντε Apocryphi sunt, quorum nec Authores, nec Autoritas certò demonstrari potest, videlicet *Apocryphi Veteris Testamenti*, qui in se & ex se Fidem Canonicam non habent adeoq; posteriori, eaq; Apocryphorum accuratà Definitione summarè comprehenduntur. Et possemus dispecere illos in *Apocryphos nobis & Apocryphos Pontificis*. Notum enim est ipsorum Pontificiorum confessione non minùs ac nostrà *Tertium & Quartum Esdræ, Tertium & Quartum Maccabæorum una cum Psalmo 151, Additione Jobi & Oratione Manassis* Apocryphos esse. Coeteros verò Apocryphos nobis venditant pro Canonicis ubi tamen Sixtus Senensis lib. 1. *Bibl. Sanct. Sect. 1.* distingvit inter *Protocanonicos & Deuterocanonicos*. Quem sequitur Joh. Stephanus Menochius Jesuita in *Præf. annot. in Bibl. c. 7.* *Protocanonici dicuntur illi libri, de quorum Authoritate nunquam dubitatum est: Deuterocanonicis, de quibus aliqua aliquando fuit controversia. Hi verò sunt Liber Esther totus, vel certè septem posteriora illius capita, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Maccabæorum &c.* Et Bellarminus ipse in eandem distinctionem quodammodo inclinatur, dum tres, constituit Sacrorum librorum ordines lib. 1. de *Verbo Dei cap. 4. §. 1.* In primum collocat eos, de quorum *Authoritate nulla unquam fuit inter Catholicos homines disceptatio. In Secundum eos, qui, tametsi verè Prophetici, aut Apostolici sint, non tamen semper æquè certa & explorata eorum veritas fuit. In tertium eos, qui quanquam à nonnullis clarissimis, doctissimisq; viris aliquando in numero divinorum voluminum haberentur, publico tamen totius Ecclesiæ iudicio nunquam approbati sunt. Ad primum ordinem refert canonicos, quos & nostræ Ecclesiæ admittunt. Ad secundum controversos, qui nobis Apocryphi. Ad Tertium illos, quos & nos & Pontificii ex Canone removemus, puta Orat. Manass. Tertium & quartum Esdræ & similes. Verùm non agnoscimus in fit Dn. D. WALTHERUS in *Off. Bib. cit. l. §. 1243. p. 119. in Veteris Testamenti libris tale quoddam discrimen, quo aliqui statuuntur ᾠρωτοκανονικοί, alii**

ΔΕΥΤΕ-

Δευτεροκανονικοι, sed illos dicimus esse μονοκανονικους, hos vero δευτεροκανο-
 νικους & ανακονιστους. Quamob causam & Deutero canonici Pontifi-
 cii libri merito nobis jure sunt Apocryphi, æquè ut Apocryphi
 ipsis, quod pluribus infra probatum dabitur. Impresertiarum
 allegatum sequimur Doctorem, qui cit. l. Apocryphos dividit in
Integros & Imperfectos. Integros dicit continere vel (α) *Historicas*
relationes ut *Liber Judithæ, Tobie*, vel (β) *Utilissimas exhortatio-*
nes, ut partim *Liber Sapientie* qui potissimum ad Magnates &
 Principes est directus; partim *Siracidis*, quo instituuntur omnes
 omnino homines cujuscunq; ætatis, sexus & conditionis; partim
Baruchi, qui ad poenitentiam, vitæq; novitatem Judæos nomina-
 tim captivos impensè extimulat, vel (γ) *Manifestissimas vaticinii Da-*
nielis adimpletiones sub illustribus fratribus Maccabæis, de quibus
 1. & 2. Maccabæorum agunt libri. *Imperfectos* verò qui & *Fragmen-*
ta dicuntur, pertinent ad *Historiam* vel *Estheræ*, vel *Danielis*, vel
Manassis &c.

§. VIII. Quicquid verò tandem hujus rei sit propositum hoc
 tempore est nostrum ad ductum γενικως, & minus accuratæ Distin-
 ctionis, primò agere locò de Apocryphis Novi, & postremò de A-
 pocryphis Veteris Testamenti. Idem enim est, quod Ordo juris,
 Dignitatis & Excellentie requirit. Dignius quippe præcedit indi-
 gnus, nobilius ignobilis. Quantò vero intervallò N. T. Apo-
 cryphi præstent illis qui sunt Veteris οφθαλμοφανερως patet inde,
 quod illorum natura cum horum comparanda ne utiqvam veniat, ut-
 pote quam infinitis excedit parasangis. Quantà enim εξοχη & emi-
 nentia divinum præstat humano, certum incerto, lucidum ob-
 scuro, verum falso; tantum Apocryphi N. Apocryphis V. præstant
 Testamenti.

SECTIO II. DE APOCRYPHIS N. TESTA- MENTI.

§. I.

QVò nomine, sensu, numeròqve veniant Apocryphi, prout
 communiter audiunt, N. T. libri, brevibus Sect. I. §. VI. sup-
 pedita-

peditavimus, denominationis simul adjectâ ratione, quam B. exhibet D. Chemnicus Ex. Conc. Trid. fol. 51; His itaq; per se notis, usq; adeò prolixè non immorabimur ampliùs hâc vice nihil, præter Canonicam horum nominetenus tantùm Apocryphorum, Authoritatem ab amussim divinæ Veritatis & regulam τῆς πίστεως ἀναλογίᾳ pensiculaturi. Sit ergo Thesis: *Apocryphi N. T. verè sunt Canonici.* Hanc Thesin nostram & κατὰ σπουδασιῶς stabiliemus & ἀνασπουδασιῶς & applicando γνωρίσματῶς, è quibus alias dijudicatur Κανῶν & infringendo cornua, quibus hic N. T. impetitur Canon.

§. II. Argumentamur igitur: Quicunq; libri non minus, ac alia Scripta Apostolico-Canonica ab Apostolis θεοπνεύσεως, lingvâ Græcâ scripti doctrinam de Christo Spiritu prorsus Apostolico, citra ullam tamen cum libris Canonicis vel ἀσυμφωνίαν, vel ἀσυνεσίαν & repugnantiam exhibent Fidemq; & vitam Christianam feliciter emetiuntur, pro verè Canonicis non possunt non haberi.

Atqvi Apocryphi Novi Testamenti &c. Erg.

§. III. Major firmo stat talo, fulta quippe potissimis, quæ aliàs ad dijudicandum, & quidem N. T. Canonem adhibentur γνωρίσμασι & κριτηρίοις de sumptis, à *Causa partim Efficiente Ministeriali* (Quicunq; enim liber N. T. Canonicus esse debet, ab Apostolo conscriptus ut sit, requiritur) *Partim Formali & Internâ*, quæ sensus divini θεοπνεύσεως (Per hunc enim libri Canonici sunt, quod sunt, distinguuntur & operantur) & *Externâ*, quæ ἑλληνογενεφία; *Partim Materiali* & quidem *Circa quam seu Objecto*, quod Doctrina de Christo Apostolico Spiritu, fervore & emphasi summâq; cum convenientiâ & Harmonia cum libris Canonicis proponenda; *Partim Finali.* Canonici quippe libri & fidei & vitæ Christianæ norma sunt & regula.

§. IV. Jam ab Minorem, quæ hæc fuit: *Atqvi Apocryphi N. T. non minus ac alia Scripta Apostolico-Canonica ab Apostolis θεοπνεύσεως lingvâ Græcâ scripti, doctrinam de Christo Spiritu prorsus Apostolico citra ullam tamen cum libris Canonicis vel ἀσυμφωνίαν vel ἀσυνεσίαν & repugnantiam exhibent fidemq; & vitam Christianam feliciter emetiuntur.* Singula membra singulare postulant robur. Et hoc sequentibus apponetur paragraphis.

§. V.

§. V. Probamus itaq; I. *Apocryphos N.T. ab Apostolis esse editos*; Idq; inductione singulorum.

(α) enim *Epistola ad Hebræos* Authorem non habet nisi Paulum quod patet partim ex (1.) *Timothei commendatione* c. 13. v. 23. quem præter Paulum nemo habuit Discipulum. (2.) *Vinculorum Italico- rum mentione* c. 10. v. 34. quod Paulo solenne est Col. 4. v. 18. 2. Tim. 2. v. 9. (3.) *Petri testificatione*. Ita enim Petrus in posteriori sua epistola c. 3. v. 15. καθώς καὶ ὁ ἀγαπητὸς Ἀδελφὸς Παῦλος καὶ τὴν αὐτῷ δοθεῖσαν σοφίαν, ἐγγράψεν ὑμῖν. Quinam vero fuerint, ad quos hanc suam Petrus scripserit epistolam, palam sistit c. 3. v. 1. & c. 1. ep. 1. v. 1. Ἰσθαῖοι videlicet Διαπορεῖς, qui paulò ante & post Christum in varias terrarum partes erant dispersi. Hinc ἐκλεκτὸς vocat παρεπιδήμους Διαπορεῖς πόντις, γαλατίας, καππαδοκίας, ασίας, καὶ βιθυνίας. (4) *Paulina subscriptione*. Solennis quippe Pauli clausula, 2. Thef. 3. v. 17. 18. omnibus illius epistolis inscribi solita, & in hac deprehenditur epistola c. 13. v. ult. (5.) *Axiomatum Paulinorum identitate*. (6.) *Styli paritate* & (7.) *Patrum Autoritate*. Præter enim Clementem Alexandrinum *lib. hypothef.* Concilium Laodicenum *can. 59.* & Carthaginense tertium c. 47. & Athanasius *in Synops. & in Dial. 1. de Trinit.* & Hieronymus *Ep. 29. ad Dardanum* & Nazianzenus *in carmine* & Cyrillus *lib. 12. Thef. c. 9.* & Hilarius *lib. 12. de Trin.* & Ambrosius *lib. 2. de Carn. c. 2.* & Augustinus *lib. 2. de Doctrina Christiana c. 8.* & Ruffinus & Gregorius & omnes ferè Græci Paulum Authorem hujus Epistolæ constanter proclamant.

(β.) *Epistola Jacobi* scripta est à Jacobo Justo, filio Alphæi, fratre Judæ & consobrino Domini, aliàs Minore appellato. Hinc ejus nomine citatur à Concilio Laodiceno & Carthaginensi tertio, Origine præterea *Hom. 7. in Jos. Epiphano hæc. 76.* Athanasio *in Syn.* Augustino *Epist. 29.* Dionysio *de divin. Nomina. c. 4.* Cypriano *ad Nov.* Ruffino *in expos. Symb. Damasceno lib. 4. c. 18.* sat grave præbentibus testimonium.

γ. *Epistola posterior Petri* non nisi Petri est, quod abundè liquet, tum [1.] è titulo: Σιμεῶν Πέτρος καὶ Ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ; tum [2.] è Stylo, qui merè Apostolicus est; tum [3.] è visæ transfigurationis Dominicæ testimonio. Siquidem Author hujus epistolæ transfiguratum se vidisse Dominum ingenuè fatetur, & audivisse vocem dicentem: Hic est Filius meus dilectus c. 3. v. 16. Jam verò è Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. constat capitibus, Petrum tantum,

Jacobum & Johannem in montem Thabor, ut glorificationis testes, à Christo esse assumptos. Accedit *deponendi tabernaculi revelatio* c. i. v. 14. Quibus dubio procul verbis respexit ad prædictionem Salvatoris Joh. 21. vers. 18. 19. & *Pauli mentio*, quem dilectum suum nominat fratrem cap. 3. v. 15. & *Ecclesiæ testificatio*. Confer Concilium Laodicenum *can. 59.* Athanasium in *Synop.* Epiphanium *heres. 76.* Hieronymum *ad Paulum*, Bedam aliosq; plures Ecclesiæ primitivæ Antistites.

[d.] *Secunda & Tertia Johannis*, Evangelistam & Apostolum Johannem agnoscit Authorem. Probat hoc [1.] *Authoris denominatio*. Presbyterum quippe se vocat, hanc qui scripsit epistolam, quod patet è versiculo i. Hoc sive ad Ecclesiasticum officium, sive ætatem applicueris proVectiorem, Johanni competit Apostolo, cum notum sit, quod ille præ reliquis ad summam pervenerit senectutem: [2.] *Apostolica salutato* & [3.] *exacta sententiarum, verborumq; cum prioræ comparatio*. Unde Johannis utramq; Veteres allegarunt, reliquisq; Canonicis adjunxerunt, quod & Lutherus facit in præfatione ad Heb. *Bisher haben wir die rechten gewissen Haupt-Bücher des Neuen Testaments gehabt.* At quos? Alios inter & posteriorem Petri & secundam tertiamq; Johannis.

[e.] *Epistola Judæ* exarata est à Juda Thaddæo, filio Alphæi, Jacobi fratre, qui docuit Evangelium in Mesopotamia, Ponto, Ægypto & Perside, ubi à Magis scribitur interfectus, quod liberius ipsorum superstitionem reprehenderet. Vocat autem seipsum Judam, servum Christi & fratrem Jacobi v. i. Quam ob causam, ut & sententiarum cum posteriori Petri convenientiam, à Patribus repudiata non est, sed in Concilio Laodicensi, & ab Athanasio, Tertulliano, Cypriano, Origine, Epiphanio, Hieronymo reliquisq; Veterum Judæ nomine citatur.

[f.] *Apocalypsis Johannis* liber est Apostolico-Propheticus à Johanne Evangelista & Apostolo conscriptus, quod colligitur ex ejusdem [1.] *Conformi cum prima sua epistola exordio*. Conf; i. Joh. i. v. 1. 2. 3. Apoc. i. v. 1. & 2. Joh. 21. v. 24. [2.] *singulari Filii Dei epitheto*. Nominat enim Johannes præ cæteris Apostolis & Evangelistis Servatorem Mundi λόγος Joh. i. v. 1. & 14. Apoc. 19. vers. 13. i. Joh. 5. v. 7. [3.] *Vaticiniorum complemento*. Eventus quippe, quò pleræq; visiones comprobatae sunt, Apostolicæ hunc librum esse *Authoritatis*, abundè testatur [4.] *Danielis promisso*. Dan. 12. enim

v. 4. &

v. 4. & 9. legimus Danieli factam esse promissionem de explicatio-
ne vaticinii, quamdiu duratura sit Anti Christi idololatria & domi-
natio, quæ promissio in vaticiniis his Apocalypticis impletur.
[5.] *Antiquissimorum Patrum suffragio* v. g. Dionysii, Justini, Irenæi,
Theophylacti, Melitonis, Origenis, Athanasii, Chrysostomi, Ter-
tulliani, Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Augustini, qui omnes Johan-
ni Apostolo hunc librum adsignant.

§. VI. Probamus II. *Apocryphos N. T. Θεοπνεύσως*, & quidem
Græcè consignatos esse. *Quoad primum*, pugnat pro nobis [α] *Chri-
sti effatum* Matth. 10. vers. 20. ἔγὼ ὑμεῖς ἐστέ οἱ λαλῶντες, ἀλλὰ
τὸ πνεῦμα τῶ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλῶν ἐν ὑμῖν. Alloquitur
autem his verbis Salvator dilectissimus suos, quos
ut oves in medium luporum emiserat Discipulos v. 16. adeoq̃
& Petrum, & Johannem, & Jacobum, & Judam. Quod si igitur
verum est, sicut omnimodè est, Apostolos hosce Authores esse
enumeratorum horum librorum, non poterit non sequi, & instinctu
& impulsu & inspiratione Spiritus S. quoad sensum verè divinum
consignatum esse, ab illis, quod scriptis proditum est. A minori
enim ad majus argumentari licet hōc modo: Si locuti sunt Θεο-
πνεύσως Apostoli, sequitur, quod & Θεοπνεύσως scripserint, cum ma-
jor inscriptis, quam dictis desideretur authoritas & emphasis. Juxta
enim Poetam, *Vox audita perit, litera scripta manet.* Vel si mavis,
à Genere ad Speciem poteris argumentari: Si locuti sunt Apostoli
Θερόμνοι ὑπὸ τῷ πνεύματι & ἀγίας, sequitur quod & scripserint eō-
nem acti Spiritu. Verba enim scripta non minus, ac pronuntiata,
sunt verba. Præterea verisimile non est, DEum, qui non modò
generatim omnes Gentes [*voce & scriptis*] docere Matth. 28. v. 19.
sed & speciatim Apostolos scribere jussit Apoc. I. v. II. & c. 14. in
eo quod jussit, destituisse quos jussit.

[β.] *Pauli pronunciatum* Rom. 15. v. 18. ἔγὼ τολμήσω λαλεῖν τι ὧν ἔκα-
τειράσατο Χριστὸς δι' ἐμῆ. Argumentamur igitur denuò: Si non
ausus est Paulus aliquid dicere, nisi Christus Jesus id ipsum fuerit
operatus, sequitur e undem nec ausum esse aliquid scribere, nisi
idem Jesus Christus id operatus fuerit; Et per consequens Episto-
lam quoq̃; ad Hebræos, quæ, ut ante monitum, non nisi Paulo
suos debet natales, operatione Christi conscriptam esse & consigna-
tam. *Quoad postremum* res ipsa loquitur. Quemadmodum enim
Græcanica Lingva Apostolorum tempore inter omnes gentes flo-
rentissima ad conscribendum N. T. canonem speciali DEI bene-

placito est electa : Ita non minùs recensiti libri avthenticâ hâc in lingvâ consignati sunt, qvòd ipsa monumenta originalia evidentiâ, omni exceptione majori, evincunt.

§. VII. III probamus Apocryphos N. T. libros *Doctrinam de Christo Spiritu Apostolico citra omnem cum libris Canonicis ἀσυστάσιαν ἀνηυμῶσιν & repugnantiam exhibere.* Qvòd enim ad prius ; Nullum est è Scriptis allegatis, qvòd doctrinam de Christo & qvâ Personam, & qvâ Officium fidelissimè non inculcet. Qvòd ad secundum, plena sunt Apostolicæ gravitatis, Spiritusq; divinus hinc inde colligitur superflue. Qvòd ad tertium, tantùm ab est, ut in omnibus, qvæ proponunt, aliquam cum Canonicis libris prodant dis convenientiam & pugnam, ut potius cum illis harmonicè conspirent, nec absurdi cujusdam, aut ἀνολογίας insimulari possint.

§. VIII. Deniq; IV. probamus Minorem, qvoad ultimum, exinde, qvòd unicus illorum finis est, pios Dei homines ad Christum & Vitam æternam deducendi, adeoq; & fidem & vitam Christianam ad amussin voluntatis Divinæ normandi & mensurandi. Hic enim scopus est *Epistolæ ad Hebræos.* Hinc duobus primis capitibus *Christi* sistit *Personam*, qvâ *divinam* in primo, & qvâ *humanam* naturam in secundo capite. Quartò, quintò, sextò septimò, octavò, nonò & decimò capitibus agit de *Christi officio*, cum primis sacerdotali hortaturq; ad fidem & vitam Christianam. In undecimo describit *Fidem*, & *ratione sui* & *ratione Subjecti primævi* & *ratione Adjuncti.* In duodecimo & decimo tertio hortatur ad fructus Eidei, Patientiam, Constantiam &c. Eundem in modum *Epistola Jacobi* ad Christum ducit, dum Author ejusdem se Christi servum nominat c. 1. & genuinum fidei monstrat Principium. C. 2. Fidei notat effectum & necessarium & salutiferum, bona sc. opera, ad qvæ, ut & in sequentibus, instimulat acerrimè. Idem faciunt & reliqui, de quibus omnibus æqvè, ac Paulus de Canonicis V. T. eloqui possumus: *πᾶσα γραφὴ θεόπνευτος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἀρτιῶσιν ἢ τῷ θεῷ ἀνδρωπῶσιν πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρηπισμένῃ.* 2. Tim. 3. vers. 16.

§. IX. Et hæc sufficiant nobis ad evincendam brevibus Apocryphorum N. T. Authoritatem Canonicam. Jam ad ea, qvæ in contrarium adferri solent, nos convertemus, visuri num valoris quid, aut roboris habeant mentem Canonicæ Veritati addictissimam

mam ad seqviorem flectendi sententiam. Ubi in primo statim se
 præsentant frontispicio, quæ contra *Epistolam ad Hebræos* proferun-
 tur Argumenta: Objiciunt enim communiter [1.] *De cujus Authori-
 tate prudens dubitavit Antiquitas, illa Canonicis libris annumerari
 non debet Epistola. Atqui de Authoritate Ep. ad Hebræos &c. E.*
 Respondemus limitando Majorem: De cujus Authoritate prudens
 dubitavit Antiquitas sc. *tota & semper, illa &c.* At sic negatur Mi-
 nor. Non enim omnis Antiquitas, sed aliqua saltem, quippe
 Romana aliquando non semper dubitavit. Jam verò non satis est
 causæ ad rejiciendam aliquam Epistolam, quia particularis quæ-
 dam de authoritate ministri & ad tempus dubium fovit Ecclesia.
 Sed requiritur totius Catholicæ, cum primis primitivæ Ecclesiæ con-
 stans & perpetua sententia. [2.] *Cujus Epistolæ Author est incertus,
 illa dici non meretur Canonica. Atqui Epistolæ ad Hebr. &c. Erg.*
 Resp. Neque Major neque Minor simpliciter procedit. *Non Ma-
 jor.* Nam do instantiam: *Libri Josuæ* author est incertus. Theo-
 doretus enim existimat esse collectum ex antiquo commentario,
 qui dictus sit Liber justorum *c. 10. v. 13.* Alii rerum summas ab Elea-
 zaro summo Sacerdote comportatas fuisse arcitrantur, è quibus
 postmodum volumen hoc sit confectum, quò inclinare videtur
 Athanasius *in Synop.* Contra Hebræi ipsummet Josuam librum
 hunc consignasse totum conjiciunt. Pariter *libri Judicum* quis
 fuerit Author incertum est. Nec magis notus est Author Esthe-
 ræ &c. Ecquis autem tantæ foret absurditatis, ut hos & alios ignoti
 Authoris libros è Canone velit remove? Itaq; non ex Amanuen-
 sis notitia sed ex inspiratione Spiritus S. Scripturæ canonica pen-
 debit authoritas. *Non Minor.* Plurimi enim Patres conveniunt
 in adsignatione hujus epistolæ divo Paulo, quod supra dictum §. 3.
 Et horum nos insistimus vestigiis. *Inst. [α] Non tamen habet Præ-
 fixum Pauli nomen.* Resp. Quid tum? Neq; Johannis Epistola
 prima pro more Apostolis, Petro cum primis & Paulo usitato præ-
 fixum habet Johannis nomen, inde tamen de Canonica illius Au-
 thoritate nullum est dubium. Deinde Liber Sapientiæ Salomo-
 nis obtendit nomen, nec tamen ejusdem est, & Canonica. [β]
Stylus hujus epistolæ alienus est à stylo Pauli. Resp. Et in illis Epistolis,
 quæ Paulum indubitato agnoscunt Authorem styli quædam
 animadvertitur diversitas [Ultraque enim ad Corinthios est facilis,
 ad Ephesios verò est difficilis] At quid inde? Styli sane diversitas
 diver-

diversitatem non Authoris, sed materiae, & argumenti arguit di-
 versitatem. Præterea non omnimodè evictum est, stylum prorsus
 alienum esse à stylo Pauli. Methodi namq; & phrasum similitudo
 docet contrarium. [γ] *Cujus Epistolæ Author ab initio fuit conversus,*
ille Paulus non fuit. Atq; hujus &c. E. Minorem prob. c. 2. vers. 3.
 Resp. Minor est nulla. Ne hilum enim quidem dicto in loco de
 conversione Authoris factâ ab initio occurrit. Sed ita habent
 verba: Ἡ πρὸς ἀρχὴν λαβῆσα λαλεῖσθαι ἀλλὰ τῶν κυρίων ὑπὸ τῶν ἀκροαόντων
 εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη συνεπιμαρτυροῦν τῶν Θεῶν σημεῖοις τε καὶ τέρασιν
 &c. Quò dubio procul ad miraculosam & curam, & Spiritus S.
 instructionem respicit factam per Ananiam Act. 8. v. 17. & seq. [δ]
Quicumque Author errat in explicatione Scripturæ, Paulus non est.
Atq; Ep. ad Hebræos &c. E. Min. prob. Quia Author ille erravit in
explicando 2. Sam. 7. v. 14. quoad Christum accommodat, cum tamen
ad literam intelligatur Salomo. Resp. itidem negando Minorem;
 Cum juxta contextum non de Salomone, sed de Christo fiat ibi
 Sermo [ζ] *Quæcumque Epistola Græco non est scripta idiomate, pars*
Cononis N. T. esse non potest. Atq; hæc &c. E. Minorem probat
 Sixtus Senensis lib. 7. Bibl. hæc. 8. p. 764. ubi audacter affirmat,
 omnes consentire in eo, quod Epistola hæc ex Hebræo in Græcum con-
 versa sit. Respondet Magnificent. Dn. D. Calovius, Meccenas &
 Præceptor meus æternùm suspiciendus in Critico Sacro Diat. 7. §. 6.
 Fallitur in eo Senensis. Non desunt enim è veteribus, qui potius
 Ἀρχέτυπον Græcè conscriptum profiteantur. Additq; magis ex con-
 jecturis, & incerta traditione, quàm ex certa scientia & indubiis
 documentis, plerosq; ex Patribus asserere, quod Ebraicè primitus
 exarata fuerit, quod pluribus deducit §. 7. §. v. 8. Argumenta non
 contemnenda adducit in contrarium, dum ostendit [α] Stylum &
 dictiones non Hebræam, sed Græcam redolere eloquentiam [β]
 Allegata V. T. fieri non secundum Ebraicum textum, sed Græcam
 LXX. Interpretum versionem. [γ] suam stabilit sententiam Græca-
 rum vocum emphasi [δ] Ebraicarum vocum in Græcum sermo-
 nem interpretatione [ϵ] Sententiæ adversæ incertitudine. Instas
 [α] *Ad Hebræos scribi debuit Hebraicè.* Resp. Negando. Aliàs enim
 & Petrus suas Hebraicè exarare debuisset Epistolas. Imo & Pauli,
 inquit Magnus noster Calovius, utraq; ad Timotheum colligeretur
 conscripta esse Hebraicè quippe ad Hebræos destinata. Accedit, quod
 usus lingvæ Græcæ tam latè patuerit, ut Hebræi non solum, qui inter
 genti-

gentiles dispersi, sed etiam, qui in Syria morabantur, Græcè loquendi consuetudinem induerint. Quid quod non omnes Ebræi tum intellexerint Hebræa! Multi enim eorum, qui inter gentes dispersi erant, non in usu Patriæ lingvæ, sed ejus, quæ vernacula erat illis, quos inter vivebant, à tenebris educati fuerant. [3] Paulus haut polluit tanta in Græca lingvæ eloquentia, quantam præ se fert Epistola ad Hebræos. Quasi verò Divina sapientia ad humanæ potentia modulum sit adstricta. Mirantur certè Pauli eloquentiam Lystrenses, hinc Paulum dicebant Mercurium, Eloquentiæ DEUM, Act. 14. 12. unde Theodor. ipsum μεγαλοφωνότατον dixit, & Hieronymus inquit: Paulum quotiescunq; lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. [4.] Qc. Canonico contradicit libro, ipsum Canonicum non est. At qui Epist. ad Hebr. &c. E. Minorem probant c. 9. v. 3. & 4. ubi dicitur in Arca Fœderis fuisse urnam, habentem Manna, & Virgam Aaronis, quæ fronderat & Tabulas Legis cujus contrarium prostat 1. Reg. 8. Resp. Fallit Minor. Phrasis enim illa ἐν ἡ, non ad Arcam refertur, sed Σκηνὴν, seu tabernaculum. Vitiosa itaq; est interpretatio cum Apostolus de tabernaculo loquatur, in quo asserit fuisse urnam & virgam Aaronis. [5.] Dicunt: Contrariatur tamen Doctrinæ Evangelicæ, patrocinaturq; errori Novationarum c. 6. ubi reditum ad gratiam negat patere, qui semel illuminati à veritate defecerint, negatq; cap. 12. Esavum invenisse locum pœnitentiæ, cum tamen Christus omnes ad se venire jubeat. Resp. Falsum est Epistolam ad Hebræos contrariari Evangelio. Quod enim ad primum; Apostolus loquitur de iis, qui peccarunt in Spiritum S. At hoc peccatum ab ipso Christo dicitur irremissibile Matth. 12. Πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, ἡ δὲ τῷ πνεύματι βλασφημία μὴ ἀφεθήσεται. Inquis: Ergo Christus sibi metipso contradicit, & per consequens dabuntur ἀντιλογίαι in Scriptura Canonica Resp. Nullæ dantur reverà tales & ὄντως, qualis nec hæc est. Non enim Christus sibi contradixit, sed φαινομένως id sic aliquibus videtur. Ad veram namq; ἀντίφασιν, jx. Aristotelem, requiritur alia inter requisita & καθ' αὐτὸ & πρὸς αὐτὸ, quorum neutrum hōc deprehenditur locō. Verè enim omnes & singulos Christus vocat Homines, sed hæc additā commonefactione: Ἄρχτε τὸν ζύγον μὲ ἐφ' ὑμᾶς. At quod est illud: Jugum Fidei, Jugum Pœnitentiæ, & jugum Novæ Obedientiæ, quorum nullum in blasphemos illos in Spiritum S. cadit peccatores, utpote quorum adjunctum damnabile finalis in incredulitate

litate & malitia est perseverantia. Itaq; nec à Christo, nec ab Apo-
 stolo excluduntur absol. , sed sub intuitu finalis in blasphemia
 pertinaciæ. Sicut è Contrario peccatores ad Christum vocantur
 sub conditione fidei &c. Tantum de primo. Quod verò alterum
 istud concernit, *Esavum poenitentiam quæsisse lachrymis, nec inve-*
nisse, non tam de suâ, quæ serio quæsitâ nequaquam fuisset dene-
 gata, sed vel Dei κατ' ἀνθρώπων πατέρα ita dicta, vel Parentis Isaaci
 intelligendum venit poenitentia; Ut sensus sit, Esavum quidem la-
 chrymis à parente petiisse, ut translata in Jacobum benedictio-
 nem retraheret, adeoq; de actu suo eucharistico poenitentiam ha-
 beret, quod tamen impossibile fuit, sicut testatur Gen. c. 27. v. 34.
 35. & seq. Neque enim DEum, neque Isaacum in subjectum di-
 gnus collatæ benedictionis potuit poenitere. [6.] *Quæc. Epistola*
tradit talia, quæ Pauli non congruunt tempori, Paulina, adeoq; ejus
nomine Canonica esse non potest. Atqui hæc nostra &c. E. Minor
 probatur ex c. 6. v. 1. ubi mentio fit Catechismi, qui mos instruendi
 tamen post Paulum demum videtur cœpisse. Resp. Minor inva-
 lida est. Tempore enim Pauli jam tum catechizandi morem fuisse
 usitatum, patet ex Gal. 6. 6. Act. 18. 25. [7.] *Quæcunq; Epistola non-*
nulla citat, velut ex V. T. quæ apud Hebræos tamen non habentur, illa
non est Canonica. *Epistola ad Hebr. &c. E. Minor* patet ex c. 12.
 v. 21. ubi Moſen dixisse refert: Ἐκφοβῆς ἐμὴ καὶ ἐντρομῆ, quod in
 V. T. nullibi extat. Respondet pro nobis Dn. D. Waltherus Off.
 Bib. Rep. post. p. 1087. tripliciter. [1.] dicit: *Paulus etiam è gentilibus*
quædam citavit. [2.] *Probabile est, Authorem etiam hujus epistolæ hæc*
habuisse extraditione, sicut & nomina Jannes Jambres 2. Tim. 3. v. 8.
 [3.] *Non absurdè dici potest Exod. 19. v. 19. rem ipsam describi, quam hisce*
verbis Author epistolæ hujus exprimere voluerit. De Mose enim nar-
ratur, quod cum sonus tubæ invalesceret, locutus fuerit ac DEus respon-
derit ei voce, ex quò rectè colligitur, Moſen illo sono tubæ territum de
suo terrore fuisse conquestum, & blanda à DEO voce erectum.

§. X. Missa hæc ad Ebræos Epistola ad defensionem *Epistolæ*
Jacobi nos accingemus eamque ab impetu Adversariorum pro vi-
 rili vindicabimus. Expunctam verò voluere eandem, quos se-
 quentia moverunt argumenta: I. *Quæcunq; Epistola, teste Eusebio, est*
adulterina, in Canone non est ferenda. Atqui *Jacobi Epistola &c.*
 Ergo. Resp. negando Majorem. Non enim sufficit ad relegatio-
 nem hujus vel istius libri è Canone, teste Eusebio esse adulterinum,
 sed

sed requiritur verè esse adulterinum. Forte ipsius Eusebii testimo-
 nium est adulterinum, adeoque nihil probabit. Nec juvat Eusebi-
 um silentium Veterum. Pauci enim ex Veteribus scripserunt, pau-
 ci itaque ejusdem meminisse potuerunt. II. *Quaecunq; Epistola*
de Opere Christi, & Doctrina Evangelii nihil meminit, in Canone esse
non potest. Atqui Epistola Jacobi &c: Erg. Respondet nonne-
 mo: *Finge, nihil de opere Christi & Doctrina Evangelica meminisse, in-*
de tamen non desinit esse Canonica, quia moralis est, & ad operahorta-
tur. Sed hæc responsio non omnem videtur tollere difficultatem,
 cum de essentia Scripti Canonici N. T. sit, Doctrinam de Christo
 proponere. Itaque negamus Minorem. Contrarium enim pa-
 patet ex. c.1.v.1., ubi Christi ejusque operis mentio fit succincta eò
 ipsò, dum Author se $\Delta\lambda\epsilon\nu\ \iota\eta\sigma\tilde{\iota}\ \chi\rho\iota\sigma\tilde{\iota}$ vocat. Confer v.5, 12, 17, 18,
 21. Item c.2.v.23. c.5.v.8, 9, 11, 15. III. *Quæc. Epistola aberrat à Do-*
ctrina Evangelica, ejusque puritate, canonica non est. Atqui hæc &c.
 Erg. Minor evidens apparet è c. 2. ubi operibus justificationem
 transcribit & c.5.v.14. ubi extremam unctionem Papisticam asse-
 rit. Resp. Negando Minorem. Ad probationem dicimus (1)
 Distinguendum esse inter *justificationem coram Deo, & justificationem*
coram hominibus. De hæc, non illà loquitur Jacobus. (2) Dist. in-
 ter *Unctionem Miraculosam ad sanandum ægrotos adhibitam, & Pa-*
pisticam: Ad illam, non ad hanc digitum intendit Apostolus. At
 verò eò ipsò à puritate Evangelica neutiquam aberrat. IV. *Quæc.*
Ep. Pauli Canonico scripto est contraria, ipsa Canonica non est. Atqui
Jacobi Epistola &c: Erg. Min: prob: c.1.v.25. & c. 2. v. 12. ubi Le-
gem vocat Νόμον τέλειον τῆς ἐλευθερίας quod adversatur Paulo, qui ad
Gal. 4. vocat εἰς ἀσλείαν γυνώσκων. Resp. Neg: Min. Ad probatio-
 nem regeimus, Contradictionem non esse, nisi apparentem. Di-
 versò enim respectu Lex & Servitutis, & Libertatis Lex est. *Ser-*
vitutis, quatenus est litera occidens, & ministerium mortis omnibus
 non regeneratis; *Libertatis* verò, quatenus [α] omnes liberè sine
 intuitu personarum arguit [β] ad libertatis autorem nos deducit
 [γ] Regeneratis non est jugum servitutis, sed ab illis sponte custo-
 ditur. V. *Cujus Epistolæ Author non fuit Apostolus, illa nec Apostolico-*
canonica dici meretur. Atqui hujus &c: E. Resp. Minor est falsa. Utiq;
 enim Jacobus fuit Apostolus; At hic Author est hujus epistolæ.
Instas (α) Non tamen se vocat Apostolum. Resp. [1.] κατ' ἐνστασιν:
 Neque Paulus in utraque ad Thessalonicenses se vocat Apostolum.

Num quid autem exinde sequitur, vel alium Paulum, non Apostolum, has scripsisse epistolas, vel ipsum Paulum, tum temporis. cum scripsit easdem, desuisse Apostolum esse. Idem omisit Johannes in epistolis & Apocal. [2] κατ' ἀληθειαν Dist: inter Apostolicam Appellationem *Formaliter & Materialiter talem*. Illa utut desit, hæc tamen adest. Nominat quippe seipsum Servum Dei & Domini Jesu Christi, quod certè sufficit, & juxta praxin exemplum Paulinum, & Johannæum idem est quoad rem, ac dicere se Apostolum. [3] *Duo tamen tantum fuerunt Jacobi, alter Zebedæi, alter Alphæi filius. Prior non potuit esse, quia nimis cito ab Herode interfectus est, nec posterior. Hic enim, teste Hieronymo, Episcopus fuit primus Hierosolymorum, qui sane hanc epistolam non scripsit.* Resp. [1] Συνοχητικῶς, non fuisse illius Jacobi & fratris Johannis [2] Ἀγνητικῶς, non fuisse alterius Jacobi Filii Alphæi, fratris Judæ & consobrini Domini. (γ) *Qc: verò rationes affert ex epistolis Petri & Pauli, ipse non fuit Apostolus, sed Apostolorum Discipulus. Atqui noster Jacobus &c: Erg. Resp. Limitando Majorem: Qvc: rationes affert ex epistolis Petri & Pauli, sc: citando illos, adq; illorum, ut Præceptorum, Auctoritatem provocando, ille &c: Ast sic negatur Minor. Utut enim similes quædam hæc in epistola inveniuntur sententiæ, vel quoad contenta ejusdem rationis cum Petrinis & Paulinis, non tamen sequitur exinde, Jacobum citasse & allegasse Petram & Paulum, ut Præceptores, adeoq; eorum esse Discipulum. Spiritus quippe Sanctus eandem Fidei analogiam æquè in Jacobo, ac Petro, vel Paulo operatus est. Ideoque tantum abest, ut Canonicam hujus epistolæ auctoritatem identitas, vel similitudo saltem, sententiarum destruat, ut potius confirmet & consolidet. Ad Canonicum enim Sc. S. librum requiritur accurata præprimis cum aliis Canonicis harmonia. (δ) *Non est consuetudinis Apostolicæ Ecclesiam vocare Synagogam, quod tamen Jacobus fecit c. 2. v. 2.* Resp. Idem reperitur Ebræorum 10. v. 25. deductum ex Matth. 27. Hinc Irenæus *adv. Heret. lib. 6.* Ecclesiam Christianam non erubescit appellare Synagogam.*

§. XI. *Petri Epistola, non minus ac Jacobi, & ad Hebræos, suos habet adversarios à quibus sequentibus impugnari solet rationibus: [1] Quæc: Epistola & olim & adhuc hodie in dubium vocata est, & vocatur, Canonica non vocabitur. Atqui hæc &c: Erg. Resp. limit: Maj: Quæcunque Epistola sc: tam quoad Auctoritatem, quam*
Autho-

*Authorem & olim, non minus tamen ab omni Ecclesia, quam omni tempore & hodie sc. cum ratione indubium vocata &c. illa &c. At sic negatur Minor. Ut enim quidam, Eusebio teste lib. 3. c. 3. & 22. item lib. 6. c. 24. non tamen omnes primitivæ Ecclesiæ Patres, nec omni tempore de Authore simul & Autoritate dubitarunt. Et si adhuc hodie sunt, hæc qui dubitant de epistola, facti est, non juris. Jam certè non sufficit ad infringendum Canonem hujus & illius, hõc vel illo tempore de Authore dubitatio, sed totius Ecclesiæ constans & perpetua de Autoritate pariter ac Authore requiritis, qualis ad Calendas Græcas ostendetur. Nec sufficit ad Apocryphum, quod unus atq; alter moderna adhuc dubitet luce, ad eõq; in ipso meridie Andabatarum more pugnet. Id enim si sufficeret vel tota V. & Novi Instrumenti Scriptura foret Apocrypha. Quot enim vel adhuc hodie sunt, qui Scripturæ Autoritatem vel practicè, vel theoreticè abnegant? Legibus itaq; non exemplis judicandum, neq; quid fiat, sed an rectè fiat attendendum. [2.] *Quamcunq; Epistolam Syrus non interpretatus est Interpres, Canonica non est.* Atqui hanc &c. Erg. Resp. [a] *per instantiam: Capituli 8. Joh. initium de Adultera, item v. 7. i. Joh. 3. Syrus non est interpretatus. Numquid verò exinde sequitur: Ergo Exordium illud Johannæum, & Johannæus ille versiculus non est in Canone? [β] Secundum Veritatem: A negatione Syriacæ interpretationis ad negationem Canonice autoritatis N. V. C. Ratio [1.] Quia Syriaca versio non est authentica [2.] Quia vel studio ab interpretibus, ob nescio quam habitam causam vel speciem, vel fortuito ab amanuensibus potuit omitti. [3.] Quia potuit fieri, ut exemplar aliquod authenticum ad manus interpretis non pervenerit. (3.) *Quæ. Epistola quoad stylum à priori Petri epistola est diversa illa non potest esse Canonica. Atqui hæc &c. Erg. Resp. Negando & Majorem.* Diversitas enim Styli Authorum diversitatem & per consequens Canonorum & Apocryphorum librorum non infert; & minorem, Stylum sc. esse diversum.**

§. XII. *Posteriores Johannis Epistola à multis eadem impetuntur, sed rationibus admodum invalidis. Operæ itaq; pretium non duximus illorum retusione & tempus & chartam inutiliter perdere. Palmarum quod est huic redit: De qua & Hieronymus & Papias apud Eusebium dubitat, illa Canonica non est. Johannis Epistola sunt &c. Erg. Possemus more solito limitare Majorem:*

De qua & Hieronymus & Papias, sc. semper, dubitat. At sic negaretur Minor. Ipse namq; Hieronymus Johanni adscribit Apostolo in ep. 85. Sed placet im præsens negare Majorem. Posito enim, nondum tamen simpliciter concessô, quod Hieronymus & Papias non Johanni Apostolo, sed alii cuidam Seniori hujus nominis adscripserint; Hieronymus tamen & Papias non sunt tota Ecclesia; judicium itaq; & testimonium sufficiens & adæquatum de Scriptura Canonica ferre non possunt de secundario cum primis Authore dubitantes,

§. XIII. *Judæ Epistola* è Canone removetur ob sequentes rationes; Quod (1.) *Author hujus Epistolæ se non nominaverit Apostolum.* Sed respondemus negando consequentiam. Satis enim est, quod se dicat Servum Jesu Christi & fratrem Jacobi. (2.) *Quod Author hujus Epistolæ post omnes vixerit Apostolos & scripta illorum v. 17.* Resp. Non post omnes sed Petrum saltem & Paulum, quorum epistolas citat, in quibus illæ prædictiones extant 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. & 2. Pet. 2. At quid inde? Numquid propterea ex Apostolorum excludendus est choro? Do instantiam: Johannes post cæteros vixit Apostolos. E. Scopæ dissolutæ! (3.) *Quod tradat, quæ in Scriptis Canonicis non reperiuntur v. g. de Lite Michaelis & Diaboli super corpus Mosis, item de vaticinio Enoch, quod utrumq; non nisi ex Apocrypho quodam hausit libro.* Resp. ad primum. Historia de lite Michaelis è Canonica petita est Scriptura. Beda & Franciscus Junius in Commentariis suis referunt ad visionem Zach. 3. v. 1. seq. Historiamq; metaphoricè interpretantur intelligentes per corpus Mosis Synagagam Judaicam & per Michaellem Filium Dei. Sed magna inquit Dominus D. Waltherus in *Harm. Bibl.* §. 211. in *Judæ epist.* p. 1372. utrobique monstrari potest disparitas. Et hic à litæra ut discedamus, nulla nos cogit necessitas. Imo inter Christum & Archangelum Scriptura manifestè distingvit 1. *Thess.* 4. v. 16. licet alibi & ipse Angelus non solum crebrò nudè vocetur *Gen.* 48. v. 16. *Exod.* 3. v. 2. c. 23. v. 20. *Mal.* 3. v. 2. sed etiam aliquando Michael *Dan.* 12. vers. 1. *Apoc.* 12. v. 7. Inde vestigium & fundamentum hujus rei securius deprehendi putat: è *Devt.* 34. v. 6. Circumstantiam vero haustam censet, vel extraditione, vel scripto quòdam Apocrypho: Omnium optime dicitur, quod hæc profecta sint ex divina revelatione sicut alia *Matth.* 11. v. ult. c. XXVII. &c. Ad secundum dicimus Judam non provocare ad Henochi quendam librum Apocryphum, sed ad oralem ver-

balem.

balemq; ejus prophetian, quam hauserat Judas *ratione originis ex* indubitata traditione, sicut Paulo innotuerunt nomina Jannes & Jambres 2. Tim. 3. v. 8. *ratione verò certitudinis* ex immediata Spiritus S. revelatione. Provocasse autem Judam non ad librum aliquem ἀκανονικόν, sed ad ipsam Enochii prædicationem, eamq; *non realem*, quod vult Chumnannus Flinspachius *in lib. de Conj. extr. temp.* sed *verbalem*, vocabulum arguit δεφεήτευσεν quod dictum oris innuit, non scriptum manus. *Consentit Junius Tom. 1. opere in Not. ad Epist. Jud. fol. 1685.* Accedit vox λέγων, quod nonnisi ad verbalem Enochii prædicationem potest restringi. (4.) *Quod non Persicè scripserit, cum tamen in Perside vixerit.* Resp. Nec hoc opus fuit. Aliàs enim Matthæus scribere debuisset Æthiopicè, quia vixit in Æthiopia. Et Paulus Romæ degens in Romana tum temporis lingua epistolas, quas illic scripsit, adornare debuisset. Sciendum ergo, quod scripserit in illa lingua, quam callebant ii, ad quos scripsit, vel si mavis, Epistolam hanc esse Catholicam ad omnes fideles missam, ideo etiam vulgatissimâ, eâq; N. T. propriâ Judas uti & voluit & debuit lingvâ.

§. XIV. *Apocalypsis Johannis* à Megalandro nostro Lutero relinquitur in medio, qui tamen non prohibet, quin Johannis esse statuatur. Agnoscit interim Prophetian esse divinitus inspiratam: *Es haben wol viel/inquit in præfatione super Apoealypsin sich dran versucht / aber bis auff den heutigen Tag nichts gewisses auffgebracht / etliche viel ungeschicktes Dinges aus ihren Köpffe hinein gebrauet umb solcher ungewissen Auslegungen und verborgenen Verstandes Willen haben wirs bis daher auch liegen lassen/sonderlich weil es auch bey etlichen alten Vätern geachtet / das es nicht Johannes Buch sey/wie in lib. 3. hist. Eccles. c. 25. stehet / in welchen Zweifel wir es auch für uns bleiben lassen. Damit doch niemand gewehret seyn soll/das ers halte für Johannis des Apostels.* Hæc Lutherus. In antecedaneis verò refert ad Prophetias divinitus inspiratas. Quidam contrarium propugnant prætendendo *1] Beatos prædicare, qui servant ea, quæ in hoc librò scripta sunt, cum tamen ob obscuritatem nemo intelligat.* Resp. (a) Concessivè, multa esse obscura in hoc libro, quia excedunt & eminent humanæ conditionis modum, & esse in eo arcanum quendam, reconditum atq; admirandum omnibus sensum. (b) *negativè, propterea è Canone esse*

esse rejiciendum, quia idem hâc ratione evenisse debuisset Ezechie-
 li, Danieli, Zachariæ. Negamus etiam nihil prorsus manifesti &
 perspicui in eo deprehendi. Contrarium legenti liquet. 2] *Au-
 thorem non esse Apostolum, cum Theologus saltem appelletur.* Resp.
 (a) Συγγρητικῶς appellari Johannem Theologum ob Theologica-
 rum, quas tractat, rerum sublimitatem. Gravisimè enim & Filii
 Dei Divinitatem, & alias res maximè divinas & Theologicas per-
 tractat, verè Aquila, quæ cœlum versus in sublimia evolat, & aper-
 tissimis Solem justitiæ intuetur oculis. Merito hinc κατ' ἐξοχὴν
 appellatur Theologus, quia præ aliis apices summos Theologiæ
 attigit & pertractavit. (b) Ἀποστολικῶς exinde sequi, quod non sit A-
 postolus. Subordinata enim non pugnant. 3] *Nihil habere
 Apostolicæ gravitatis.* Resp. Falsum hoc est. Contrarium patet
 legentibus. 4] *Aliam ab Evangelio & Epistolis Johannis habere
 ἐπιγραφήν.* Nomen enim suum ibidem nunquam expresit. Resp.
 Nihil exinde sequitur. Nomen namq; suum præ aliis expresit in
 hoc libro, quia Prophetam agit. Prophetis autem in more est ob
 fidem majorem Prophetiæ habendam nomina exprimere sua.
 Idem & Johannes fecit Propheta in hoc suo Prophetico libro. 5] *A-
 liam ab omnibus Canonicis Scriptoribus habere clausulam.* Horribilem
 quippe sub finem addit obtestationem, qualis aliàs nullibi reperitur. Resp.
 Obtestatione hâc non tantùm Johannis liber Apocalypticus, sed
 tota Canonica clauditur Scriptura, ne ulli hominum potestati jus
 esset in hanc quicquam mutandi, transponendi, addendi, demendi.
 6] *alium esse, eumque dissimilem Johannis stylo stylum.* Resp. Quid
 miri, quod Argumenti diversitas variet sermonem? Alium sane sty-
 lum requirit historia, alium Prophetia. Illic perspicuitas & sim-
 plicitas ultrò se offerunt; hîc lingua & penna res mysticas modo
 mystico exprimere jubetur ab eo, à quo regitur, & à quo universa
 vaticinia & visiones figuratis verbis indicantur.

SECTIO III.

DE APOCRYPHIS V. TESTA- MENTI.

§. I.



Consideratis itaque & Sect. I. *Apocryphis in genere* & Sect. II, *Apocryphis secundum dici*, tandem aliquando *Apocryphos secundum esse* speculabimur. Et hi sunt Apocryphi V. T. ob ignotam & Authoris, & Authoritatis Canonicae Majestatem merito occultandi; indeque à probandis Fidei & Vitæ Christianæ dogmatibus longissimè arcendi. Ut verò Controversiæ Status genuinè observetur, excludimus è Canone non modò *Apocryphos κατ' ἐξοχήν*, libros videlicet mendaces, fabulosos & erroneos, neque tantùm *Apocryphos Pontificis*, tertium sc. & quartum Esdræ, tertium & quartum Maccabæorum, Ps. 151. Additionem Jobi &c: Verùm omnes quoque *Apocryphos in sese*, ad quos referimus Tobiam, Judith, Baruch, Librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, I. & II. Maccabæorum, Supplementa in Esther, Daniele &c: Quos omnes & singulos sequentibus impugnamus argumentis.

§. II. Qc: Libri à Prophetis consignati non sunt, pro Canonicis haberi non possunt. Atqui Apocryphi V. T. &c: Erg.

Major evidens est. Unicum enim illud Fidei & Vitæ Christianæ *Γεμέλιον*, super quod ædificamur, in Vet. T. unicè jactum est à Prophetis, ut Evangelium propterea dicatur patefactum per Scripturas Propheticas Rom. 16. v. 26. indeque dicatur *γεγραφήντες θεοφεικῆ λόγῳ θεοφεικῶς* 2. Pet. I. imò *θεόπνευστος* 2. Tim. 3. ratione à Petro subnexâ cit. l. v. 21. *Non enim voluntate hominis allata est aliqua prophetia sed à Sp. S. impulsu locuti sunt sancti Dei homines.* Hinc ad illos ablegamur à Christo Luc. 16. *Habent Moysen & Prophetas*, quos ipse Discipulis suis explicuit Luc. 24. v. 44. illisq; mentem aperuit, ut intelligerent Scripturas vers. 45. scilicet Propheticas, quæ testantur de *JESU* jx. Petrinum eloquium Act. 10. v. 34. Et hoc Fidei nostræ est fundamentum super quod extruimur, Prophetarum sc. & Apostolorum, juxta Paulinum in *Eph. 2. v. 21.* effatum, quod illi jecerunt promissis & vaticiniis, hi applicuerunt oculatis testimoniis. Hinc Petrus: *ἅ πάντες ἐσμὲν μάρτυρες* Act. 2. vers. 32. Quodcunq; itaque Scriptum ad V. refertur T. propheticum tamen non est, canonicum nec dici merebitur. *Minor* probatur exinde, quod omnes post Prophetarum editi sunt secula. Ultimus enim Prophetarum fuit Malachias, post quem in V. T. usq; ad Johannem alius monstrari & adduci non potest. Unde is, quod maximè notandum, ultimum vaticinii sui caput concludit totamq; Propheticam Scripturam obsignat vaticinio de altero Elia, *Qui non nisi*

Johannes fuit Baptista, juxta Salvatoris testimonium Matth. ii. v. 13. 14. omnes Prophetæ & Lex usq; ad Johannem prophetarunt, & si vultis accipere ipse est Elias, qui venturus est.

§. III. Quicumq; libri lingvâ Propheticâ exarati non sunt Canonis rationem præ se non ferunt. Atqui Apocryphi V. Test. &c. Ergo.

Major suam nanciscitur lucem ex inductione omnium Prophetarum, qui non nisi in Hebraica, Judæis vernacula & familiari, lingua suas consignarunt Prophetias. Dicit: *Multa tamen invenimus in Jeremia, Daniele & Esdra, Chaldaicò conscripta idiomate, Resp. Ab eo, quod incidenter & μερικῶς ad id quod ex proposito factum est & ἄλικῶς N. V. C.* Incidenter autem factum, ut demum post captivitatem Babyloniam, ubi Chaldaica Lingva ab Hebræa tanquam matre nata Judæis cœpit esse familiaris, quædam, eaque paucissima, ex consuetudine Dialectus tum temporis usitatissimæ immixta fuerint. Quemadmodum & in Lingva N. T. authentica plurima non tantum nomina, sed & integræ phrasæ, loquendiq; Syriacæ formulæ Lingvæ, cujus cum primis Dialectus Hierosolymitana tempore Christi & Apostolorum receptatissima erat, occurrunt, nec tamen aliquid textui Originali Græco, quò minus habeatur pro authentico, præjudicare possunt. Tales sunt verbigratia: Ἠλί ἢ λὶ λαμῶ σαβαχθανί; Matth. 27. quod parum differt à Dialecto Maronitica seu Antiochena, quæ in Paraphrasi Syriaca conspicitur: . Item, quod à Christo ad demortuam Jairi filiulam dictum refertur: *Ταλιθα κουμ* Marc. 5. & juxta Antiochenam Dialectum ita sonat: . Quibus aliisq; nihil inferri potest aliud quàm placuisse Sanctis his DEI amanuensibus verba Christi iisdem, quibus è sanctissimo profluxerunt ore, formalibus consignare, posteritatiq; in originali communicare. Eundem in modum *Esdra* à cap. 4. v. 8. ad v. 19. c. 6. Epistolam ad Artachasta Aramicè scriptam, ejusq; responsum unà cum aliis scriptis à Chaldæis, & ad Chaldæos exaratis historię lingvâ, in quâ originaliter scripta, sc. Chaldæâ, intertexuit, & vicissim à cap. 7. v. 10. usq; ob 27. ejusdem capituli Epistolam Artachasta ad Eldram Chaldaicè scriptam Chaldaicè communicat. Ita *Daniel* à v. 4. cap. secundi ad caput octa-

VIII

vum usq; exclusivè Regis Necucadnezaris relationem somnii & consultatione de ejusdem significatione & acta & visiones scriptaq; nonnulla Regia Aramicè consignavit. Nec minus Jeremias c. X. v. II. ipsis Judæis, quid Chaldæis, ad idololatriam sollicitantibus respondere debeant, Chaldaicè præscribit. Ad quomodo id patrocinabitur Apocryphis, quorum Authores ex proposito & fortassis ob imperitiam S. Lingvæ non quædam, sed omnia illorum contenta lingvâ conscripserunt exoticâ.

Minor firmatur: (a) enim de *Tobia* Hieronymus in præfatione *super Tobiam ad Chromatium & Heliodorum Episcopos* scribit, Chaldæo sermone fuisse conscriptum (b) *De libro Judith* idem in præfat. ejus hæc ponit verba: *Chaldæo sermone conscriptus inter historias computatur.* (c.) *De libro Baruch* in præfatione ejus hæc annotat Hieronymus: *Liber iste, qui Baruch prænominatur, in Hebræo Canone non habetur, sed vulgata tantum editione* (d) *Syracides* Græcâ expressus est lingvâ. Affirmat eadem Hieronymus, se reperisse Ecclesiasticum in Hebræo, quod etiam (e) de *primis Maccabæorum* refert in Prologo Galeato. Aliàs scribit in præfat. quædam & (f) *Quartum Esdræ* librum redolere phrasin Hebræam; sed præterquam quod libri isti hodie non extant, nisi in Græco & Latino idiomate, sicut in opere Complutensi, Hispanico & Ariæ Montani videre est, nec aliunde prophetica illorum authoritas probari possit, rectè statuunt Dd. nostri, Apocryphos esse. Quod si enim Canonici forent, divina nunquam permisisset providentia, textum eorum originale perditum esse. (g) *Sapientiæ liber*, quem Hieronymus *pseudepigraphum* vocat, apud Hebræos nusquam extat. Similiter (h) *Posteriora Estheræ capita* juxta Lyram in fine sui in hunc librum *Commentarii*, in Hebræo non sunt, nec de Scriptura Canonica. (i) *Supplementa in Daniele* Hieronymus in *proem. Comment. in Dan.* Sufannæ Belisq; ac Draconis fabulas vocat, & in Hebræo non contineri profitetur expressè. Idem de reliquis esto judicium.

§. IV. Quicumq; libri non testantur de Christo, in Canone locum non habent. Atq; Apocryphi V. T. &c. E.

Majori lucem foeneratur Apostolus Petrus Act. 10. vers. 43. Τὸ πᾶν (Jesu Nazareno) πάντες οἱ ἀρεσθηταὶ μαρτυροῦσιν. Itaq; Christus τῶ νόμου τέλος & omnium Prophetarum est nucleus. Hinc idem ipse exorsus est ab omnibus Prophetis, & interpretatus, quæ de se scripta erant Luc. 24. v. 27. 44. Confer. Act. 13. v. 27. c. 26. v. 23. 24. c. 28.

v. 23. Rom, 3. v. 21. 22. 1. Pet. 1. v. 9. 10, Locutus enim est DEus per os omnium Sanctorum suorum à seculo Prophetarum, & omnes Prophetæ à Samuele & de inceptis, quotquot locuti sunt, annu-
ciaverunt dies istos, Act. 3. v. 24. Unde sua sponte fuit, istud
Scriptum, quod de Messia, ejusq; adventu nihil continet, adeoq;
dies N. T. non annunciat, non esse Propheticum, nec Canonicum
*Exc. Nihil quoq; in Amoso, Obadia, Sophonia & Nahum de Christo
continetur, & tamē Canonicis annumerantur libris* Resp. [1] Συγχωρη-
τικῶς, Messiam in his Prophetis nonnihil involutum jacere [2.]
Ἀρνητικῶς, nihil prorsus de Messia contineri. Quoties enim in his
Prophetis, aliisq; vaticinia & promissiones de Politia Israeliticæ
redintegratione conservationeque promulgantur, sicut in Amosi
c. 9. v. 11. usq; ad finem, Soph. 3. v. 10. Nahum 3. v. 15. quàm solen-
nissimè promulgatur, toties de Messia passuro & resuscitando præ-
nunciari sciamus. Etenim Abrahamo & semini ejus tria specia-
lissimè fuere promissa [1.] Terræ Canaan gratuita traditio. [2.] Se-
men amplissimum ex lumbis Abrahami proditurum in illa terra [3.]
Messias nasciturus intra illam ipsam terram.

Minorem ut certam præsupponimus tamdiu, donec monstre-
tur Contrarium. Vide tamen Dn. D. Waltherum pluribus hoc
exaggerantem cit. l. §. 1236. p. 1108. 1109.

§. V. Qc. Libri multa produnt falsa, Canonica esse non pos-
sunt. Atqvi Apocryphi V. T. &c: Erg.

Major robore eget nullò. Κανὼν enim, & Divinæ Veritatis Re-
gula, aut expers est omnis falsitatis, aut Canon non est.

Minorem probamus per inductionem singulorum. 1] enim
Tobiæ mentitur liber. c. 5. v. 4. & seq: dum Angelus ille personatus se
vocat Azariam, Magni Ananiæ Filium, dicitque se quandoque
commoratum apud Gebaelem, qui ambo Tobiaæ noti erant. 2]
Liber Judith mendax est eò ipso, dum insignem quandam liberatio-
nem è manibus Assyriorum memorat, quæ tamen nec ad tempora,
Captivitatem Babylonicam antecedentia, nec ad consequentia re-
ferri potest. Item Nebucadnezarem talem sistit, qui cum Holo-
ferne nunquam in rerum natura fuit, Insuper refert insigne aliquod
Festum in memoriam liberationis è manibus Assyriorum fuisse in-
stitutum, & inter Judæos semper observatum c. 16. v. 31. cujus tamen
ne vola quidem in Scriptura Canonica, vel apud probatum Scri-
ptorem alium Judæum occurrit. [3.] *Liber Baruch* falsi reus est,
quia

quia fingit Baruchum hæc scripsisse, quæ scripsit, in Babylonia, cum tamen constet, eum cum Jeremia abductum fuisse in Ægyptum Jer. 43. v. 6. Porro fingit, Baruchum legisse hunc librum præsentem Rege Jechonia, totò Populò, Potentioribus, Filiis Principum & Senioribus cap. 1. v. 34. Quod durissimæ Jechoniæ & Populi totius adfluenta Babelis dispersi Ps. 137, v. 1. captivitati haut congruit. Ut taceam, quod Populus dicatur pecuniam misisse Hierosolymas ad Sacerdotem Jojakimum, ut holocausta offerrentur, cum tamen nihil de Altari, Templo & Sacerdotibus extiterit &c. (4.) *Liber Sapientiæ* mentitur Authorem Salomonem. (5.) *Syracides* propriè dictum Eliæ Thesbitæ in has terras reditum memorat, quæ fabulis omnino accensendum. (6.) *Maccabæorum libri* mentiuntur (a) Alexandrum M. regnum suum divisisse inter ministros, qui cum ipso fuerint educati (b) Romanos singulis annis suam potestatem tunc uni commisisse (c) Senatam constituisse 320. viris. (d) Romanos Antiochum vivum cepisse (5.) Indorum regionem ereptam Antiocho datam Eumeni, & quæ de fraternitate Spartanorum, de occultatione Tabernaculi & inventionem ignis sacri fabulantur. (7) *Adjunctiones Danielis* produnt mendacia, dum (1) judæis captivis & Babyloniis mancipiis tribuunt annuos Magistratus, & jus vitæ & necis in suos. (2) Jojakimo tribuunt magnas Divitias. (3) Narrationem Judicii primò à senibus, deinde à puero administrati fabulam sapere tam clarum est, quàm clarissimum. Idem liquet de destructis Bel & Dracone ut & de Habacuco crinibus apprehenso, & delato ad foveam Danielis. [8] *Supplementa in Estheram* mentiuntur, dum fingunt aliquod somnium Mardochai cap. 1. de quo tacet Scriptura Canonica; item Hamanem cogitasse tunc temporis de Regno Persarum ad Macedones transferendo, cum tamen Macedonia Regnum admodum exiguum esset, nec Haman Macedo fuerit.

§. VI. Qc. Libri multa ponunt tum sibimetipsis tum Canonicis libris contradictoria, illi Canonicâ graves Authoritate non sunt. Atqui A. V. T. E.

Major suo coruscat lumine. Sacer enim Codex ab omni liber est contradictione, quod prolixissimè probat alios inter Dnminus D. Waltherus in *Harm. Bibl. c. 1. p. 2. 3. seq.* [a] Dictorum claritate [b] Sacrosanctæ Trinitatis Authoritate [c] Amanuensium infallibilitate [d] Scripturæ majestate [e] Ejusdem intemeratâ puritate [f] ju-

[f] iudicandi potestate [g] Rationis commoditate. [h] Absurdorum deformitate [i] Pio consensu illorum, qui sunt ex Antiquitate. Quæ omnia solidissimè deducta videsis cit. locò.

Minoris probationem membratim exhibent sequentia. In libro enim *Tobiæ* primam contradictionem sistit cetus, qui primò tantus perhibetur, ut ab eo mortis periculum imminuerit *Tobiæ*, idem tamen postea à *Tobia* branchiis extrahitur, assatur & totus deglutitur. Secundam sistit *Gabael* debitor *Tobiæ*. Iste nimirum habitasse dicitur in *Rages Medorum* cap. 4. v. 1. Ubi etiam habitasse dicitur *Sara* Filia *Raguelis*, & post *Sponsa* *Tobiæ* cap. 3. v. 7. & c. 6. v. 11. Et tamen cap. 9. v. 3. dicitur missus Angelus ad *Gabaelem* in *Rages Mediæ*, accersitum *Gabaelem* ad nuptias *Tobiæ* celebrandas æqvè in *Rages Mediæ*. Habitavit ergo *Gabael* in *Rages Mediæ*, ex c. 4. v. 21. & 9, 3. non habitavit, quia non adfuit in illo loco, ubi nuptiæ celebrabantur, quæ tamen celebrabantur in *Rages Mediæ* Patriâ *Sponsæ* cap. 3. v. 7. In libro *Judith* contradicunt sibi c. 1. & 5. In illo enim fingitur stetisse adhuc *Monarchia Assyriorum*, in hoc docetur contrarium. Indigitatur enim hic contigisse eadem post reditum *Israelitarum* ex captivitate *Babylonica*; Ubi omninò desierat *Assyriorum* & *Chaldæorum* *Monarchia*. Contradicit deinde *Spiritui S.* quod *Judith* c. 9. asserit, *Simeoni* divinitus gladium esse traditum, cum contrarium asserat *Spiritus Sanctus* *Gen.* 34. v. 30. c. 49, 5, 7. *Baruch* contradicit *Jeremiæ* 25, 11. c. 29. v. 10. *Dan.* 9, 2. Hi namq; perhibent captivitatem *Babylonicam* 70. annos duraturam; Iste per generationes septem, quò longè majus indigitatur tempus. *Libri Maccabæorum* contra dicunt sibi 1. *Macc.* 4. v. 36. & 2. *Macc.* 10. v. 1, 2, 3. seq. Illic enim *Templum* dicitur purgatum à *Juda Maccabæo* post profligatum *Lysiam*, vivente adhuc *Antiocho*; Hic verò factum hoc asseritur mortuò *Antiochò* &c: *Liber Sapientiæ* contradicit *Scriptis* *Canonicis* inter alia etiam eò, quod cap. 15, v. 14. docet, *Hostes* *populi Dei* potentiâ sua in eum abuti eique duriter imperare, quæ minimè conveniunt cum felicitate *populi Judaici* sub *Salomone*. *Syracides* favet *Antitrinitariis* dum passim c. 1. & 2. & alibi *Sapientiam Personalem* creatam introducit. *Adjectiones Danielis* contradicunt *libris* *Canonicis*. Etenim *Dan.* 6. v. 10. seq. dicitur causa, cur *Daniel* in foveam *Leonum* projectus fuerit, fuisse hæc, quod adoravit *Deum suum* contra edictum

Etum Regis: Ille verò liber Apocryphus causam dicit destructio-
nem Bel & Draconis. Liber Canonicus unam dicit noctem de-
tentum fuisse Daniele in fossa: Apocryphus Sex dies. Canoni-
cus Regem tunc imperantem vocat Darium: Apocryphus Cyrum &c:
In Fabula Susannæ perhibetur Daniel puer ignotus, quod non conve-
nit cum libro Dan. Canonico, ubi Daniel perhibetur fuisse unus ex
Satrapis & deportatus in captivitatem cum Jechonia, ubi multum
tempus jam intercesserat. *Additiones ad Estheram* contradicunt
Scriptori Canonico: Canonicus enim Regem vocat Ahasverum,
Apocryphus Artaxerxen. Canonicus Mardocheum describit ut
privatum hominem antea in aula ignotum; Apocryphus contra.
Canonicus detectas insidias docet Anno Ahasveri septimo; Apo-
cryphus secundo. &c.

§. VII. Quæc. Scriptura multa publicat impia, Canonica
non est. Atqui Apocrypha V. T. &c. Ergo.

Major sua radiat luce. Scriptura enim Canonica alias inter Affe-
ctiones suas & Puritate gaudet & Sanctitate. Nulla itaq; publi-
care potest impia, quæ ut fermentum vehementissimum totam
Scripturam Canonicam inficerent massam. *Minor* in propatulo est.
Sic enim advertuntur impia *in libro Tobie*, ubi larvatus ille Ange-
lus jubet, ut cor, jecur, & fel illius piscis eum in finem asserventur,
ut si cui Daemonium, aut Spiritus malus molestus sit, corde & he-
pate suffitus coram viro vel fœmina fiat, sicq; illos non amplius ve-
xatum iri. Hoc est contrarium effato Christi Matth. 17. v. 21. item
Matth. 12. vers. 45. Magicum itaq; est remediis corporeis ejicere
Spiritus velle, ubi tamen nec corporeus nec virtualis contactus in-
tercedit. Secundò Larva illa perhibet, se esse unum ex septem illis
Angelis sanctis, qui deferant preces sanctorum ad DEum, sicq; sibi
rapit illud officium, quod soli Filio Dei unico inter Deos & homi-
nes Mediatori 1. Tim. 2. competit. *Liber Judith* impiorum reus
est, quod flagitiosam illam Simeonis cædem in Sichemitis patra-
tam, non probat tantum, sed Dei etiam inspirationi adscribit Judith.
2. v. 9. Quod Juditham secundò introducit horrendas & abominan-
des preces fundentem c. 9. v. 12. & 18. Quod tertio Fœminæ Spiri-
tu Dei actæ adscribit cultum meretricium & oculos compositos ad
lenocinium cap. 10. v. 4. c. 13. v. 20. Quod quartò fœmina honesta
ausu plus quam temerario in eodem conclavi cum homine temu-
lento, eamq; appetenti se includi patitur, pudore periculo viola-
tionis expositò. *In libro Baruch* impietatis, vel saltem superstitio-

nis

nis notam vix elabitur, quop cap. 3. vers. 4. DEus rogatur, ut preces
 mortuorum Israel audiat. In *Libro Sapientiae* citra impietatem
 cap. 10. v. 15. & 15. v. 4. Populus Israëliticus tantoperè laudari non
 potest, ut dicatur Populus Sanctus & semen inculpatum, negetur-
 que, seductum esse improbæ artis humanæ cogitatione &
 umbrâ picturarum. Impietatem pariter redolet, quod c. 17. in descri-
 ptione tenebrarum Ægyptiacarum mentio fiat Spectrorum, hor-
 rendorum sonorum, phantasmatum sibilorum &c. De quibus
 altum in Mose est silentium. *Syraciden* deniq; impictatis arguit
 Samuel ille à Pythonissa evocatus & vaticinatus post obitum. *Libri*
Maccabeorum multitudine impiorum reliquos omnes superant.
 Cap. en. 2. commendatur facinus Mattathiaë, quod tamen alienum
 erat ab officio pii viri, sc. vi resistere Magistratui, jugulare regium
 Satellitem, vi circumcidere non circumcisos. 1. Macc. 4. Altare
 prorsus destruitur & lapides asservantur in adventum alicujus Pro-
 phetæ, quod superstitiosum. 2. Macc. c. 12. v. 43. commendatur fa-
 ctum Judæ, quod sacrificium obtulerit pro mortuis. Cap. 14. com-
 mendatur, variisq; mendaciis exaggeratur *ἀυτοχρησία* Rejazæ &c.
 In *additionibus ad Danielem* impietatem redolet, quod Susannæ
 adscribitur ornatus & lotio, quæ in prostibulum potius cadunt,
 quàm foeminam tam sanctam. Item, quod tam prolixè & quasi
 lascivè describitur libidinosus amor & attentata senû, quod maxi-
 mè alienum est à Scriptore Sancto, violatio. Impietatem etiam
 arguit, quod Viro Sancto Danieli adscribitur fictitium illud drama
 de Bel & Dracone. *Nec hymnus sociorum Danielis* usq; adeo purus est.
 Versu n. 32. nominant Regem omnium, qui sunt in universa terra,
 pessimum. At hoc procul abest à viris sanctis, qui potius inter-
 cesserunt pro Magistratu suo etiam impio. Versu 38. negant sibi in
 præsens Prophetam esse adeoq; extenuant & Danielis & Ezechielis
 Sanctissimorum Prophetarum munus Propheticum. In *additioni-*
bus ad Estheram meritò impietatis postulatur Autor, quod Esthe-
 ram præsentat impio & profano Regi dicentem, se ipsum vidisse, ut
 Angelum Dei, faciemque ejus plenam gratiæ, cum tamen ante
 vocet eundem Leonem horridum.

§. VIII. Quosc. libros Hebræorum non recepit Ecclesia, canoni-
 ci vocari non debent. Atqui Apocryphos V. T. &c. E.

Major

Major probatur. Utut enim ambabus, quod dicunt, largiamur, Ecclesiam sua Authoritate nullum posse librum facere Canonicum, quia Canonicae Scripturae Authoritas non nisi ad DEum referenda; Ecclesia tamen suo testimoniò confirmat, qui libri sint verè Θεόπνευστοι & Canonici. Et hoc testimonium, præprimis quoad Testamentum V. judaicæ principaliter competit Ecclesiae. Ei enim concredita sunt τὰ λόγια τῆ Θεῆ Rom. 3. vers. 2. nimirum quia DEus annunciat Verbum suum Jacob & Judicia sua Israël Psal. 147. v. 19. Constituisse itaq; DEum O. M. Ecclesiam judaicam custodem librorum Canonicorum V. T. non obscure innuitur Deut. 31. v. 24. 25. 26. Jos. 24. v. 26. Es. 8. v. 1. Jerem. 3. v. 2. Unde Augustinus lib. 12. cont. Faust. c. 23. Judæam vocat Gentem *Scriniariam Christianorum, bajulantem Legem & Prophetas.* Et hoc suo munere functa est fidelissimè. Finge enim, quod partem aliquam Scripturae Canonicae respuerit Ecclesia Judaica, annon fuisset necessarium, eam hoc nomine à Christo & Apostolis accusari & taxari? Quid, quod ipsi concedant Papales, Israeliticam Ecclesiam eloquia divina sibi concredita fideliter custodivisse. Ita enim Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 2. *Judeos non depravasse scripturas, probari potest ex incredibili religione Judæorum erga sacros libros. Scribit enim Philo lib. de egress. filiorum Israel ex Egypto, & citatur etiam ab Eusebio c. 2. usq; ad sua tempora per spatium amplius, quàm duorum millium annorum, ne verbum quidem fuisse unquam in Lege Hebræorum immutatum, & quemlibet Judæorum centies potius moriturum, quàm ut pateretur Legem in aliquo mutari.* Bonfrerius in Præloquio in Pentateuch. c. 4. fol. 12. fatetur, librorum Sacrorum Canonem fuisse diligentissimè in templo conservatum. Toletus in c. 3. Rom. c. 2. *Oracula inquit, divina Scripturis contenta commissa sunt Judæis. Apud eos enim in quadam custodia & deposito eloquia manserunt, factiq; sunt ii depositarii & custodes eloquiorum Dei.* Idem sentit Cornelius à Lapide in eundem locum p. 56. & Benedictus Pererius in Epist. Rom. Disp. 1. sect. 4. p. 206. *Minorem ex Josephi lib. 1. contr. App. 1. Euseb. lib. 3. Hist. c. 18. Hieronym. Prolog. Galeat. præfatione in Tob. præfat. in Esth. præf. in libr. Reg. abundè probat Dn9 D. Waltherus in Off. Bibl. Repos. post. th. gen. §. 1237. ubi in simul Melchiorem Canum inter non recipere & rejicere distinguentem egregiè confutat, ex Matth. 10. v. 40. & Luc. 10. v. 16. firmisimè concludens, non recipere idem esse, quod spernere & rejicere.* Ita non minus Bellarmini lib. 1. de V. D. c. 12. §. ult.

Sixti Senens. *lib. 8. her. 9.* Mariani Victoris *in Schola' ad Hieronym.*
ep. III. & Cani lib. 2. L. c. 11. distinctionem inter *Tempus*, quò nondum
perfectè constitutus & notus fuit Canon V. T. & inter illud, quò fuit pu-
blicà Ecclesie Authoritate editus, discutit, alia præter certissimè asse-
verans, Canonem V. T. constitutum ab Esdra, & editum longè ante
Christi nativitatem, nequaquam v. in N. T. demum Ecclesie Au-
thoritate promulgatum esse. Tandem & Catharini, Costeri & Ma-
riani Victoris distinctionem inter *Canonem Hebræorum & Christia-*
norum nullam esse, ostendit ex eo, quod Patres Primitivæ Ecclesie
Apocryphos V. T. è Canone eliminantes non Hebræorum, sed Chri-
stianorum intelligant Canonem. Plura videsis apud ipsum cit.
locò.

§. IX. Qc. libri Christi & Apostolorum calculò in N. T. ap-
probati non sunt, neque Canonici erunt. Atqui Apocryphi V. T.
&c: Erg.

Major desumpta est à testimonio omni exceptione majori.
Christus enim & Apostoli, afflatu Sp. S. immediatè exornati, norunt
certissimè, quinam essent Canonici libri, & qui non. Unde illos per-
spicue declararunt, hos verò sicco pede præterierunt, ceu tales, qui
indubitata fidem nullatenus merentur.

Minor in sole est. Adducat enim, qui potest Pontificiorum
vel unicum saltem Christi, aut Apostolorum testimonium, & erit
mihi magnus Apollo. Sin minus, hanc nobiscum amplectatur
sententiam, quæ tantæ est veritatis, ut ipsos inter Pontificios suos
quoque nacta sit Patronos. Catharinus enim *lib. 1. annot. in Epist.*
Corinth. reprehendit Cajetanum, quod affirmaverat, eam solam esse
Sacram ac Divinam Scripturam, quam Apostoli aut scripserunt,
aut approbarunt, & addit, Ecclesiam quosdam recipere ut Canoni-
cos, quos *nec scriptos ab Apostolis, nec approbatos esse constet.* Regerit
equidem Bellarm. *lib. 1. de V. D. c. 10.* *Nisi Apostoli declarassent, illos*
libros esse Canonicos, Cyprianus, Clemens, & alii non dixissent, quod essent
tales. Verùm nos multò rectius concludimus: Si apostoli decla-
rassent, hos libros esse Canonicos, nunquam tam constanter Patres
reliqui jamjam producendi ex Canone illos exclusissent.

§. X. Quicunq; libri non gaudent testimoniò primitivæ
Christianorum Ecclesie, Canonice Authoritatis non sunt. Atqui
A. V. T. &c. Erg.

Major

Major facilis est. Ecclesia enim est *σὺλῶσις καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* I. Tim. 3. v. 15. non quidem *περδλειώσεως & ἀντικρατικόν, μαρτυρίας* tamen & *μνημονευτικόν.* Siquidem primitiva Ecclesia, Apostolorum aetati proxima, non potuit nescire, qui libri essent Canonici, tum quod erudiebatur à viris Apostolicis, qui Apostolos vi-ventes audiverant & hâc de re consulere potuerunt, tum quod ob supposititia scripta, quæ paulatim in valescebant, providam cogebatur Canonis veri habere curam.

Minorem superfluè probat Dn. D. Gerhardus *Conf. Cath. lib. 2. art. 1. c. 1. pag. 16. & seq.* tum in genere, tum in specie, cujus summa saltem capita impræsentiarum facimus nostra. *Quà primum,* ipse Jodocus Coccius in *Thes. c. de script. Eccl. art. 4.* ubi de Canone agit in universum, nullum reperire potuit testimonium ante Concilium Carthaginense tertium circa Annum 397. adeoq; finem seculi quarti habitum. Fatetur ergo ante concilium istud in Ecclesia & Israelitica, & Apostolica, & Primitiva, Apostolorum temporibus proxima, controversos illos libros nondum fuisse in Canonem receptos. Consentit Bailius in *Catech. contr. tract. 1. q. 13.* in appendice: *Gregorius, inquit, locutus fuit more Doctorum primitivæ Ecclesie, qui libros illos [intellige Apocryphos V. T.] non credebant Canonicos, quia in Hebræorum Canone non habebantur.* Cordatiores itaque Pontificii ipsimet inficiari non possunt, Primitivam Ecclesiam in genere hos Apocryphos habuisse pro Non Canonis. *Quà secundum* adducimus Concilium Laodicenum, Melitonem, Epiphanium, Hilarium, Hieronymum, Ruffinum, Gregorium, Nazianzenum, qui omnes primis quatuor vixere seculis, & ipsorum Pontificiorum suffragiò dictos è Canone removerunt libros. Stapletonus eque lib. 2. de *Author. Script. cap. 3. §. 2.* Laodicenum Concilium pro sua allegare ausus est sententia. Sed Gregorius Ederus Jctus, Consiliarius Imperialis, quem Pius V. Pontifex Romanus dilectum suum vocat Filium & operam ipsius bene collocatam judicat, in *Oecon. Bibl. lib. 1. tab. 42. p. 36.* fatetur, Concilium Laodicenum controversos illos libros in Canonem non recepisse. Idem agnoscit Alphonsus de Castro lib. 1. *adv. hæc. c. 2.* sic scribens: *Fieri potuit, ut tunc [Concilii Laodiceni tempore] de libris illis fuerit ab eis dubitatum & in re tam seria noluisse eos temerè quicquam definire, donec plenius fuissent edocti.* Bellarminus lib. 1. *de Verbo Dei c. 20.* scribit: *Multi veterum, ut Melito, Epiphanius, Hilarius, Ruffinus, Hiero-*

nymus in Canone exponendo Veteris T. aperte secuti sunt Hebræos. Quid verò sit Hebræos sequi indigitavit supra lib. 1. de V.D. c.10. Libri Tobie, Judith, Sapientie, Ecclesiastici, & Maccabæorum, simul omnes rejiciuntur ab Hebræis. Tandem idem Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 9. prop. 3. Hieronymus librum Sapientie, Ecclesiastici, & Maccabæorum, arbitratur esse Apocryphos, ut patet ex Prodromo Galeato. Gregorii, Nazianzeni & Isidori suffragium nobis largitur Sixtus Senensis lib. 1. Bibl. part. 3. & part. 4. ubi ex sententia Nazianzeni & Isidori Canonicos V. T. libros enumerat, controversos verò prætermittit. Conferatur pluribus Dn. D. Gerhardus in Aug. Conf. l. c. & Dominus D. Waltherus, in Off. Bibl. d. 1.

§. XI. Ut ut verò, quæ diximus hæcenus, ita clara sint, ut majori non indigeant luce, habent tamen quibus splendidissimam hanc obnubilare facem tentant, Pontificii. Regerunt enim primò in genere 1] *Patres illos omisisse libros istos, qui in controversiam vocabantur, quia decisio nondum facta erat ab Ecclesia. Volunt namq; Concilium Carthaginense 3. id demum definivisse. Quasi verò Ecclesia posterior primitivæ, cujus Dd. discrimen Canonicorum & Apocryphorum ex ore Apostolorum, vel eorum hauserunt Discipulorum, præjudicare aliquid valeat, illumque librum certum, indubium, & Canonicum facere queat, quem prima pro incerto, dubio, Apocrypho & verè habuit controverso. Quinimò si Papa, uti volunt, primis etiam illis quadringentis annis summus fuit controversiarum judex, cur Ecclesiam tot seculis sine certo Scripturæ Canone in suspenso reliquit? Sin contra Pontifex, Romanaque Ecclesia illos tanquam Canonicos semper habuit, cur Autoritas Pontificis illos non exemit ab omni dubitatione? Tandem si certus Scripturæ Canon per Carthaginense Concilium est definitus, cur adhuc post illud tot Scriptores Ecclesiastici hos è Canone excluderunt libros? v.g. Radulphus Flaviacensis, qui floruit circa Annum 910. lib. 14. in Levit. Glossæ Juris Canonici Author Johannes Semeca in c. Canones dist. 16. in Verba Apocrypha. Hugo de S. Victore, Abbas, Bernhardi Συγγερον, qui floruit circa A. C. 1130. in Proleg. lib. 1. de Sacr. c. 7. lib. 4. Didasc. c. 2. & 8. Richardus de S. Rictore lib. 2. except. c. 9. Petrus Cluniacensis lib. 1. ep. 2. Hugo de S. Charo in Prol. Post. super libr. Josue. Lyranus in Prol. super libros Apocr. Guilielmus Occamus part. 1. Dial. tract. 1. lib. 3. c. 16. & plures alii [2] *Patres, qui controversos illos libros è Canone rejecerunt, loqui de Canone Hebræorum, non Christianorum. Resp. Contrarium manifestè pa-**

et ex ipsis verbis. Hæc vice pro nobis respondeat Lyranus in Com. c. i. Esdr. *Libri Tobie, Judith &c. non sunt in Canone nec apud Hebræos, nec apud Christianos.*

§. XII. Secundò reponunt in specie & quidem [1] *contra Concilium Laodicenum* [α] *Laodicenum Concilium fuisse saltē provinciale. Episcoporum duntaxat 22. nec à Romano Pontifice confirmatum. Carthaginense vero tertium, in quo omnes illi controversi libri in Canonem recepti, fuisse Episcoporum 217.* Sed Respondemus [a] *Provincialia Collegia ad definitionem ipsius Bellarmini c. 5. lib. i. de Conc. sunt, in quibus unius saltē provinciæ congregantur Episcopi.* Laodicenum itaq; Concilium Provinciale non fuit, ubi non unius, sed plurimum Asiæ provincialium, numero non 22. sed 32. Episcopi convenerant, teste Andras. in *Def. Fid. Trident. lib. 3. p. 524.* [b] *Confirmatum est à Leone Artic. de libell. dist. 20.* [c] *Concilio Carthaginensi non sequius, sed præstantius est, quia prius.* Jam verò juxta Isidori Regulam apud Gratian c. *Sancto Domino dist. 50.* *Quotiescunq; in gestis Conciliorum discors invenitur sententia, illius Concilii sententia magis teneatur, cujus antiquior & prior extitit Authoritas.* [β] *Laodicenum Concilium & præmittere Evangelium Lucæ.* Resp. Hoc Librarii potius errore, quàm Patrum accidit culpâ. Nam in Edit. Coloniensi Severeni Binii *Tom. i. concil. pag. 292.* disertè numeratur inter *Canonicos.* [γ] *Laodicensi Concilii Patres illos libros numerasse, de quibus certi erant, quod sint Canonici ac divini, interim non negasse reliquos esse Canonicos.* Resp. Imo verò solos Canonicos legi voluerunt, & in Catalogo Canonorum illorum librorum, de quibus controvertitur, plane omittunt. Inde Bellarminus ipse *lib. i. de V. D. c. 20.* Psalmum 151. non agnoscit Canonicum, quia Concilium Laodicenum cum Romano & Tridentino Psalmo in Canone tantùm 150. nominatim expresserunt. (2.) *Melitonis testimonio in specie opponunt, quod omiserit librum Estheris.* Verùm Respondemus cum Gerardo: (α) *Sub Esdræ nomine Συνεδοχικῶς intellexit Nehemiam & Estheram, quos etiam Hieronymus jungit in petitione Dominiani & Rogatiani, qui ab eo interpretationem poscebant.* (b) *Ideo etiam Esther pro Appendice Esdræ & Nehemiæ à quibusdam habetur, quia teste Isidoro lib. 6. Origin: c. 2. Estheris librum Esdras creditur conscripsisse.* [c] *Unde etiam Nazianzenus de genuina Script. Esdræ tantùm meminit.* (d) *Pontificii semper excipiunt, Melitonem, Nazianzenum & alios secutos fuisse Canonem Hebræum.* Atqui in Canone Ebræorum omnimodè locum habet Esther

§. XIII. Verum itaq; manet, imo verissimum, Apocryphos V. T. de Canonica non participare autoritate. *Nec obstat* (1.) quod Hieronymus *Præfat. super Tobiam & Judith* hos libros dicat numerari à Judæis inter *Hagiographa*. Sed ipse Bellarminus *lib. 1. de Verbo Dei c. 10. §. ad locum & c.* statuit Duo genera *Hagiophorum* Judæos habuisse, quædam intra arcam, & quædam extra arcam. Quæ erant intra arcam, *Hagiographa* dicebantur, ad distinctionem *Historicorum & Prophetorum voluminum*, & hæc habebantur *Canonica*. Quæ autem erant extra arcam, dicebantur *Hagiographa* ad distinctionem *Canonicorum & Sacrorum*. Hæc Bellarmini distinctio solvit argumentum allatum, quod sc. ab appellatione *Hagiophorum* non possit *Canonica* Autoritas probari; sed magis arridet Responsio, quam *Glossa ordinaria in Exposit. Prologi B. Hieronymi in librum Tobie ad verbum Apocrypha* annotat: *Alia litera habet Apocrypha, quod melius est, quia Hieronymus in Prologo Galeato numeratis libris Canonicis, inter quos iste non est, insert: Qc. extra hos est, inter Apocrypha est computatum.* Et postea: *Glossa quædam scribitur super istum locum, quæ talis est: Potius & verius dixisset inter Apocrypha, vel largè accipit vocabulum Hagiographa, quasi Sanctorum Scripta: [2] quod allegentur ab Apostolis in N. T. Respondetur: A verborum parilitate ad allegationis probabilitatem N. V. C. Si quæ ergo sunt, quæ, quæ verba & Phrasæ, aliquam cum uno atque altero loco ex adductis Apocryphis habent convenientiam, propterea tamen exinde desumpta credi non debent, cum alia è Scriptura Canonica adduci possint loca, quibus proximius accedunt, idque propter exinde petita longè rectius statuuntur. Ita v. 34. Rom. ii. longè verius refertur ad Esaiæ 40. v. 13. quam Sapientia 9. v. 13. Totidem enim verbis utitur Paulus, quibus LXX. Interpretes: *Τῆς ᾧ ἔγνω ὁ ἄνθρωπος, ἢ τῆς σύμβολοῦ αὐτῶν ἐγένετο.* Agnoscit hoc Thomas in *Comment. Rom. ii. lect. 5.* Cajetanus in *Comment. ejusdem loci.* Dominicus à Soto, & Erasmus in *annot. 1. Cor. 2. p. 209.* Eundem in modum tantum abest, ut Petrus in *ep. c. j. v. ii. ad Ecclesiasticum* ejusq; *c. 14. v. 18. & 19.* provocet, ut potius ad *Jesaiæ 40. v. 7.* respectum suum habeat. Hinc & in *Indice Biblico Vulgatæ Editionis* nullum testimonium ex *Sapientia & Ecclesiastico* affertur, cum tn. reliqua V. T. loca, quæ in N. T. citantur, diligenter sint congesta, sed verba Petri & Jacobi in illo *Indice* citantur ex *Esaiæ 40. v. 7.* cum quo etiam longè majorem habent convenientiam. *Nec obstat [3.] Patres antiquissimos controversos hosce libros vocare sacros,**

facros, divinos & Canonicos. Resp. (α) *secundum instantiam.* Librum
 Hermetis, qui inscribitur Pastor, divinitus inspiratum esse putavit
 Origenes *lib. 10. in Epist. ad Rom.* Eundem librum utilem judicavit
 Eusebius *lib. 3. Hist. c. 3.* Parilem in modum Ambrosius teste Sixto
 Senense *lib. 1. Biblioth. pag. 27. de lib. Esdr. §. Liber tertius,* quartum
 Esdræ putat editum esse non sine divina revelatione, Numquid
 autem exinde sequitur, Libros hosce esse Canonicos? Igitur [β]
 appellatio Canonica nuda nullum potest reddere librum Canoni-
 cum, si alia desint requisita. (4.) *Patres controversos illos libros alle-
 gare.* Resp. Diverſa sunt, *allegare ad explicationem, & allegare ad Fi-
 dei dogmatum probationem, eamq; primariam & fundamentalem.*
 Prior, non posterior à Patribus facta est allegatio. *E controversis illis
 libris Fidei Articulos egregiè confirmari.* Resp. (α) κατ' ἐννοιαν
 Ex Esdræ libro tertio & quarto Athanasius, attestante Sixto Se-
 nense *lib. 1. Bibl. p. 27.* testimonium produxit ad probandam Christi
 Divinitatem. Ambrosius ad confirmandum dogma de Habita-
 culis sanctarum animarum post separationem à Corpore ex iisdem
 Animam humanam substantiæ demonstravit esse cœlestis. Ad quid
 tum? Propterea tamen ab ipsismet Pontificiis non habentur pro
 Canonicis. [β] κατ' ἀλήθειαν. Non sufficit aliqualis, partialisq;
 sed requiritur per omnia & totalis ad Canonicum librum cum
 Scriptura Canonica harmonia. [6.] *Carthaginense Concilium eos-
 dem in Canonem recepisse.* Resp. Dist. inter Canonem *Ecclesiasticum
 & Divinum.* In illum, non hunc recepit. (7.) *Augustinum lib. 7. de
 Doct. Christ. c. 8. vocare Canonicos.* Resp. Dist. inter Canonicum ὡς
 ἐν πλάτει & Canonicum accuratè dictum. Prior, non posterior Cano-
 nici acceptio Augustino est curæ. Per Canonicum namq; in-
 intellexit librum, qui in Ecclesia ad morum ædificationem legitur.
 Hinc *lib. 2. contr. Epist. Gaudent c. 23.* monet, sobriè legendos &
 audiendos esse Maccabæorum libros, quam cautionem Canonicis
 dubio procul non adhibuisset. (8.) *Concilium Tridentinum contro-
 versos illos libros in Canonem recepisse.* Verùm ipse Bellarminus *lib. 1.
 de V. D. c. 10. §. itaq; statuit, Ecclesiam nullo modo posse facere librum
 Canonicum de Non Canonico, sed tantum declarare, quis sit Canonicus
 habendus, & hoc non temerè, nec pro arbitrato, sed ex Veterum Testi-
 moniis.* Stantibus itaq; superioribus hypothesis nostris, neque
 Concilium Tridentinum, neque tota Ecclesia Romana juris quid
 habebit in Apocryphos. Et tantum hâc vice.

CLARISSIMO ATQVE PEREXIMIO

DN. M. SAMUELI Sangeri

DE LIBRIS APOCRYPHIS DISPUTANTI.

S. P.

Aureum, auroq; preciosius Oraculum est, à Domino Jeremia datum c. XV. 19. Si preciosum à vili separaveris, quasi os meum eris: convertentur ipsi ad te, & tu non converteris ad eos: dabo te populo huic in murum æreum, fortem: & bellabant adversum te, & non prævalent; quia Ego tecum sum, ut salvem te & eruam te, dicit Dominus. Aureum in his cernimus Studiosi Theologie, Candidati Ministerii, vel etiam Ministri fidelis studium, ut preciosum à vili perpetuo separet, hoc est, Dei verbum Canonicum à vilibus & Apocryphis hominum libris discriminet. Aureum præterea conspicimus Ministri fidelis officium, & encomium, quasi os meum eris, Luth. Du solt mein Lehrer seyn / Glossa, eris mihi loco Concionatoris, seu Doctoris. Aureum deniq; sequitur promissum, in verbis reliquis, quæ modo neutiquam in hoc Epistolio tangere licet. Tuum, VIR CLARISSIME, studium, tuum delictum, preciosum à vili, Canonicum ab Apocryphis separare, quod egregiis documentis in hac Erudita Disputatione Tua monstrasti. Perge, sicut hæcenus fecisti, per DEI Gratiam, in hoc studio salutari, nec deerit tibi divinum officium, & gratiosum promissum. Os DEI sic aliquando vel in Scholis, vel in Templis esse poteris. Pietas & modestia Tua Patronis summis, sedulitas & Eruditio Tua Bonno publico Te commendabit; & Hoc Illorum auspiciis à Te plurimum utilitatis expectabit, quod votis ardentissimis à Domino Messis precatur

Witteb. d. 4. Mart.
Anno 1682.

TUÆ CLARIT.
STUDIOSISS.

JOHANNES Deutschmann / D.



05 A 253

ULB Halle


3

004 206 428



1019





עמי עשו
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
LIBRIS
SCRIPTURÆ
APOCRYPHIS,

Quam
SUB PRÆSIDIO
*MAXIME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLISSIMI NEC NON
EXCELLENTISSIMI*
DN. JOHANNIS *Deutschmann* /
S.S. Theologiæ Doctoris ejusdemque in ce-
leberrima hâc Universitate Professoris Publici insigniter meriti,
Alumnorum Electoralium Ephori gravissimi ut & Vene-
randi Collegii Theol. p.t. Decani Spectatissimi
*DOMINI, PATRONI & PRÆCEPTORIS Sui omnigeno cultu &
obsequio ætatem devenerandi*
Publico Eruditorum Examine subjicit
M. SAMUEL *Sange* / Fürstberg. Lusat.
A. R. S. clō Ioc LXXXII. d. Martii
Horis matutinis in Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,
TYPIS AUGUSTI BRÜNINGII.